

www.e-rara.ch

**Commentarius Criticus de Scriptis & Scriporibus Historicis, Tam Antiquis,
Quam Novis, ad Faciliorem Et Veriorem Historiæ Qua Ecclesiasticæ Qua
Profanæ Notitiam Concinnatus**

Schütz, Heinrich

Ingolstadii, & Monachii, Anno MDCCLXI

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rp 64 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-66087>

S.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

SAGITTA-
RIUS.

SAGITTARIUS Casparus, Historices in Academia Jenensi professor Acætholicus, post plurima, quæ Menkenius & Iselinus in Lexicis enumerant, scripta historica à se publicata, obiit Anno 1694. Ex iis unicam duntaxat lucubrationem hîc nomino, scilicet *Historiam S. Norberti, Archiepiscopi Magdeburgensis*, quam Anno 1683 in eadem Academia Jenensi Sagittarius Præses publico Examine seu Disputationi subjecit, majore forsitan spectantium plausu, quàm Operis merito. Quàm enim temerè in hac historia sua venerandæ antiquitatis & nominis Scriptores deseruerit atque respuerit: quàm frivolè ipse novitios juniorèsvē testes præ coævis sibi duces selegerit: quàm denique audaciter, & sine judicio atque rubore, non pauca, quantumvis synchronorum oculatorumve Virorum testimoniis munitissima, ipse pro fabulis exhibilârit atque expunxerit, non modò affatim explicat, sed & hunc erraticum in historia Argum de præpostera sua criticandi licentia doctè perspicuèque coarguit *Janningus* noster in Actis SS. T. VI. Junii à p. 34. ad p. 37. in supplemento ad Acta S. Norberti.

SARPI.

SARPI Paulus, Scriptor Venetus atque *Schismaticus* (prout à Spondano vocatur T. III Contin. Annal. Baron. ad A. 1545. n. 12.) fictitium *Petri Soavis Polani* nomen assumpsit, & sub hoc nominis tegumento Concilii Tridentini Acta congestit, quæ superiore seculo Londini in Anglia Italicè fuère vulgata per infelicem illum Marcum Antonium de Dominis, ex Archiepiscopo Spalatensi in Dalmatia factum Apostatam in Anglia, rursúmque ex simulato pœnitente ac Romam reduce post palinodiam relapsum in hæresin & in perfidia mortuum, ac post mortem publicè combustum. Eadem verò Acta ibidem, sive in Anglia, etiam latinitate posthæc fuère donata atque typis excusa; ut ex his intelligas, quæ fides iisdem Actis habenda sit, quæ ab istiusmodi hominibus in lucem prodierint. Vid. *Spondanus* l. c. qui n. 13. hæc subdit: *Quæ toto primo libro suo Polanus habet de rebus ad celebrationem Concilii preparatoriis, itineribus, legationibus, consiliis, ea de causa habitis: excepit is maximam partem ex SLEIDANO* (hæretico Sacramentario, prout à Spondano compellatur n. 12.) *atque eadem, quâ ille mente, sed longè rectiori & ad pietatem præferendam cautiori: quemadmodum & in sequentibus præstitit, quoad Sleidanus suos produxit Commentarios. Deinceps verò PAULUM VERGERIUM habuit; qui postquam à fide apostatavit, singula Concilii gesta aucupans, ea concionum suarum subjectum faciebat, Episcoporum & Theologorum inter se de rebus propositis contentiones diligenter colligens; ut erant plures*

Tri-

Tridenti, qui in iis divulgandis delectabantur: easque ille, quantum poterat, non solum verbis, sed etiam litteris ad alios ministros Protestantes scriptis, libellisque typis editis promulgabat, Actis Concilii omnibus detrahens; quamvis & alia quoque Polanus, quæ ab aliis sive typis excusa, sive calamo exarata monumenta emanassent in publicum, etiamque schedas scriptorum à Prælati ac ceteris, qui Concilio interfuissent, nec non Epistolas inde exaratas ab iis, qui res tractassent, diligenti ad hæc adipiscenda adhibitâ operâ, se vidisse jactet: quarum & nos bonam partem voluisse profiteri possumus. Hucusque Spondanus, qui dein ad A. 1546. n. 3. Polani calumniam in Archiepiscopos Armanorum & Upsalensem, tanquam Episcopos portatiles, jactam atque ex Sleidani lib. 17. depromptam refutat.

Hanc porro Sarprii Pseudo-Historiam ex instituto oppugnârunt, & plurimorum, quæ errorum, quæ mendaciorum & putidissimarum cavillationum convicerunt tam *Sfortia Pallavicinus* in veriore Historia Concilii Trid. quàm *Scipio Henricus* in Censura Theologica & Historica adversus Soavis Polani Pseudo-Historiam, edita Dilingæ A. 1654. in qua demonstratur, quod tota Soavis Historia continuum propè mendacium sit aut Historicum aut Theologicum. Item vid. *Nat. Alex.* T. VIII Hist. Eccl. per totam Dissertationem XII de Concilio Tridentino: *P. Schwarz* P. III Colleg. Histor. Unde aut extremæ pariter maledicentiæ, aut summæ in Theologicis historicisque inscitæ & cœcitatæ, imò utriusque hujus vitii aspergine largiter inquinatum se prodidit *Conringius*, dum Tomo II Operum p. 272. Pallavicini laborem etiam *stultitiæ* arguere, Tomo verò VI. p. 609 complura aut pleraque Sarprii errata non nisi inter minutias & levissimi momenti sphalmata connumerare non formidavit. Ita scilicet lippientibus heterodoxis trabs, etiam procera, levis festuca videtur.

SAXO GRAMMATICUS, ex Sialandia oriundus, & Roschildensis in SAXO Dania Ecclesiæ Præpositus, in gratiam Absalonis Archiepiscopi Lun-Dania GRAMMA-
denfis, studiorum suorum impulsoris, Historiam Danicam scripsit, TICUS.
quam in XVI. libros distinctam ad sua tempora perduxit, & in homa-
gio, Canuto VI Daniæ Regi à Bugislavo Pomeraniæ Duce præstito,
absolvit. Edita illa est Francofordiæ Anno 1576, notis verò illustra-
tam & vindiciis auctam Soræ recudit *Stephanus* Historiographus An-
no 1644. Nec enim defuere, qui Saxonis Historiam ob non pauca
immixta fabulosa modico admodum loco habendam statuerent; unde
pro Saxone *Stephanus* scripsit. Etiam *Heuschenius* noster T. I. Febr.
p. 398. §. VII n. 31. in Com. præv. ad Acta S. Ansharii, eam Saxonis
lucubrationem ob redundantium fabularum copiam non immeritò à
Gerardo Vossio l. 2. de Historicis latinis c. 55. perstringi existimavit.

Easdem in Saxone fabulas jam antea reprehenderat *Scaliger* lib. de E-
mendatione temporum. Attamen tantus fabulator hic Saxo non est,
quantus nonnullis videtur, ut ex ipsius *Vossii* loco cit advertit *Natalis*
Alex. T. VII Hist. Eccl. Cap. IV de Scriptoribus Seculi XIII p. 134.
col. 2.

Et *Joannes* quidem *Magnus*, Archiepiscopus Upsalensis, *Olai*
Magni Germanus & in Archiepiscopatu Prædecessor (qui juxta *Bollan-*
dum T. I. Januarii p. 392. n. 12. diem extremum clausit Romæ A. 1544.)
in sua *Historia Gothorum Sueonumque* varios Saxonis lapsus historicos
notat atque refutat. Sic primò lib. 4. c. 27 refellit ridiculam Saxonis
assertionem, quâ *Frothoni*, Daniæ Regi, centum septuaginta Reges
fuisse subjectos, ejusdemque *Frothonis* imperium à *Russia* usque ad
utramque *Rheni* fluminis ripam extensum fuisse commemorat. *Se-*
cundò: eundem Saxonem tum in supputatione *Chronica* circa *Longo-*
bardiæ Reges vehementissimè lapsum, tum & mutilas tradidisse histo-
rias, unà cum *Alberto Kranzio* idem *Magnus* queritur & probat lib.
8. C. 18. 19. 20. & 27. nam locò triginta duorum Regum, qui *Longo-*
bardis ab eorum ex *Scandiana* Insula exitu usque ad postremum Regem
Desiderium per 400. & ampliùs annos præfuisse noscuntur, ipse Saxo
per tot secula tres solummodò Reges, *Biornem*, *Haraldum*, & *Gor-*
monem assignat. *Tertiò*: etiam imposturæ & apertæ falsitatis adver-
sus *Sueones* arguitur Saxo à *Joanne* lib. XVII c. 1. quòd ille in sua
Historia Danica scripserit, ad expiandam *Refonis* (vulpecula dicti)
necem, ingentem auri multam *Sueonibus* à *Danis* fuisse impositam,
& sub id ipsum temporis (seu *Caroli M. ætate*) *Sueciam* à *Danis*
omnino fuisse subactam.

Neutiquam tamen hæc *Eruditorum* judicia obfuere, quin & ab
Olao Magno, Upsalensi pariter *Archi-Præsule*, & *Joannis Magni* fra-
tre ac successore (in *Hist. de Gentium Septentrionalium variis conditionibus*
statibusque &c. lib. 2. c. 24. p. m. 74. & lib. 7. c. 21. p. m. 235.) *Saxo*
Grammaticus, *Danorum insignis historicus*, item: *Danorum egregius Scriptor*:
& à *Pagio T. IV. Criticæ* ad A. 1186. n. 15. *Saxo optimus Historicus: Opus*
verò illius nobilissimum sit compellatum. Imò ipse quoque *Joannes*
Magnus, utut aliàs *Saxoni* contrarius, perinde tamen, atque *Kran-*
zium & postea *Meursium*, in rebus merè *Danicis* *Saxonem* passim sequi-
tur, & insuper à docto disertoque ingenio eundem dilaudat, quò plura
carmina patria in latinum convertit eloquium. Et sanè non sola *Sa-*
xonis soluta dictio tersa & elegans est, ut ait *Natalis Alex.* l. c. sed &
illustrem *Poetam*, atque tum *priscis* tum *recentioribus* parem fuisse
Saxonem, ea carmina probant, quæ per *Historiæ suæ* decursum, ve-
luti

luti condimenti locò , insperfit , & quorum aliqua idem Joannes Magnus l. 2. c. 21. p. m. 105. de duobus Athletis Danicis, Hialtho atque Biarcho , libro verò V. c. 9. 10. 11. 12. à p. m. 204. ad 211. de gestis Starchateri, celeberrimi inter Suecos Pugilis atque Gigantis, in suam quoque Historiam Gothicam transferre non dubitavit.

Neque, si unius dictionis historicae stylum atque nitorem consideres, à vero aberravit Erasmi Roterodami censura, quam ille in suo Dialogo Ciceroniano de hoc Saxone tulit, Editor verò Francofordiensis etiam Saxonis Editioni præfixit. In *Daniam*, inquit Erasmus, *navigare malo, quæ nobis dedit Saxonem Grammaticum, qui suæ gentis historiam splendide magnificèque contexuit. Probo vividum & ardens ingenium, orationem nunquam remissam aut dormitantem: tum miram verborum copiam, sententias crebras, & figurarum admirabilem varietatem: ut satis admirari non queam, uæde illa ætate homini Dano tanta vis eloquendi.* Idem Erasmi iudicium probat Gravesonius P. I. Hist. Eccl. T. IV. Colloq. V. p. m. 244. His addi merentur, quæ Sollerius noster T. III Julii p. 124. in Comment. præv. ad Acta S. Canuti R. & M. §. 3. n. 31. de Saxonis Historia hisce verbis pronuntiavit: *Sanè præstantissima sunt, quæ Saxo, literatissimus sui temporis historicus, verè, graviter, & nitidè de Sancto Rege Canuto tradidit libro XI. ex quo sua acceperunt, qui deinde secuti sunt rerum Danicarum & Suevicarum Scriptores, quos inter etiam Joannes Magnus paucis multa contrahit lib. 18. cap. 12. & 13.* Fugio hic referre, quàm varia fuerint de Saxone isto Grammatico iudicia, ad rem nostram nil facientia: id certissimum est, eam à nemine ei laudem præripi, quòd stylo eleganti, florido, & terso AD SECULI SUI MIRACULUM historiam contexuerit, eruditissimis quibusque id testantibus apud Stephanium, qui ipsam recognovit, notis illustravit & edidit (Soræ) Anno 1644., in Prolegomenis à cap. 16. p. 24. Saxo-mastiges ibidem operosè & egregiè refellens. Quæ de priscis Danicæ Regibus & Populis collegit, hic expendenda non sunt; in iis certè, quæ ejus ætati propinqua fuerunt, nemo tanti Scriptoris fidem in dubium revocaverit. Vixit autem & floruit Seculo XII., mortuus verosimiliter Anno 1202. aut 1204., ut vide apud laudatum Stephanium cap. 15. Fuisse Roschildensem Canonicum & Præpositum, ibidemque sepultum, indubitata est omnium sententia. Rectè tamen, non modò Pagius l. suprâ cit. sed & idem Sollerius p. 125. §. IV. n. 36. observârunt, dolendum inprimis, Saxonem Grammaticum, Scriptorem aliàs optimum ac diligentissimum, minorem quàm par erat designandorum temporum rationem habuisse, ut difficillimum sit, annorum seriem (etiam in rebus, ævo suo vicinioribus, ut in historia S. Canuti) ex ipso distinguere. Vid. etiam Spondanus ad A. 1201. n. 4.

SCHAR-
DIUS.

SCHARDIUS Simon, patriâ Saxo, Ducis primùm Bipontini Con-
filiarius, dein Cameræ Spirensis Assessor, varia Opera partim ipse
conscriptit, partim aliunde collegit, collectâque cum scholiis suis
publicavit. Inter hæc sunt 1. *Lexicon Juridicum*. 2. *Scriptores Ve-*
teres Rerum German: editi Francofordiæ A. 1566. scilicet, *Joannes Tur-*
pinus (vel potiùs Pseudo-Turpinus fabulator) de gestis Caroli M.: *Chro-*
nica Reginonis, Sigeberti, & Roberti de Monte: Historia Lamberti Schaff-
naburgensis. 3. Opus Historicum in IV. Tomos divisum, & primò
excusum *Basileæ A. 1574.* recusum *Gießæ Hassorum A. 1673.* Com-
plectitur illud tum de antiquioris tum de junioris hodiernæque Ger-
maniæ rebus Scriptores recentiores. 4. *Historia Theodorici Niemi de*
Schismate, quarto insuper libro sub ejusdem Niemi Schemate per
Schardium aucta: *Basileæ A. 1566.* 5. Liber sat amplus in Folio,
de Jurisdictione, Auctoritate, & præeminentia Imperiali & potestate Eccle-
siastica, ex variis (inter quos etiam is ipse prætensus Niemus de Pri-
vilegiis & Juribus Imperii circa investituras Episcopatum & Abbatiarum
& Papis restituta Imperatoribus Romanis) Scriptoribus conflatus: *Basileæ*
A. 1566. 6. *Epistolæ Petri de Vineis*, per eundem Schardium produ-
ctæ, *Basileæ A. 1566.* 7. *Hypomnema de Fide, observantia ac benevo-*
lentia Pontificum Romanorum erga Imp. Germanicos: Basileæ eodem an-
no &c.

Quantum verò, quàmque Calvinianum in Romanos Pontifices
odium in hisce lucubrationibus & collectionibus suis præsetulerit
Schardius, tam in Reginonis Chronico, quàm in Niemi maximè
Historia alibi jam declaravimus. Et vel solæ Præfationes aut Epi-
stolæ nuncupatoriæ (quas vulgò jactitatis Niemi Operibus: libro
Joannis Marii: Volumini de Jurisdictione & Auctoritate Imperii:
Epistolis Petri de Vineis: ironico denique hypomnematì de Fide
& benevolentia Pontificum Romanorum: pro heterodoxa sua facun-
dia solertissimè præfigere Schardius non prætermisit) de pestilente
adversus Pontifices cæstro, scribentisque furore, luce clarius testi-
monium ferunt. Ipsum verò Hypomnema quid juxta Gretserum
aliud est quàm mendaciorum sentina, utpote in quo *fabulæ Milesiæ: fa-*
bula, quâ non fabulosior in toto AEsopo: commentum impudens, in Schardii
& Balæi cerebro effictum, tanquam duorum Notariorum in Curia impudentiæ
& mendaciloquentiæ immatriculorum. Neque hujuscemodi dicta temerè
effutiit Gretserus, sed verissima demonstravit in iis, quæ de Pontificum
adversus Fridericum I. & II. insidiis aut cum Iconii Soldano atque
Manfredo in eorundem Cæsarum necem collusione Schardianum Hy-
pom-

pomnema mentitur atque calumniatur. Vid. *Gretf. in Basilico Doro* sive *Commentario exegetico* Cap. V. T. VII. Operum p. 40. 41.

Accedit, quòd in toto hoc Hypomnemate (quod à Caroli M. temporibus usque ad Maximilianum II. deducitur) nullos alios suarum assertionum aut figmentorum testes adducere soleat Schardius, quàm Schismaticos, heterodoxos, de hæresi suspectos, adulteratos, aut heri natos Scriptores; quales sunt incognitus & effrontissimus Benno Pseudo-Cardinalis: depravatus *Conradus Urspergensis*: perforatus aut interpolatus *Theodoricus Niemus*: corrupti post sua fata *Naucerus* & *Cuspinianus*: audax *Platina*: fabulator *Aventinus*: recentiores *Pandulphus Collenutius* & *Huldericus Mutius*: *Vita Friderici II.* germanicè confuta: mendaciorum Pater *Sleidanus*: fictitius *Eleutheroostomus*, sive Germanus quispiam Poëta tenebrius: *Illyrici Catalogus Testium Veritatis*, aut veriùs *Feritatis* &c. Unde Schardius vel enormem in antiquis, contemporaneis, probatoribusque Scriptoribus inscitiam, vel inveteratum malignantis animi calamique rancorem erudito Lectori apertissimum fecit. Ipse demum Hypomnematis Epilogus, quò Maximiliani II. gesta clauduntur, Schardium plusquam ferino in Pontificem felle tumentem, furiasque latrantem testatur: prout legentibus indubium fiet.

Quid jam dicam de ferocissima illa impudentissimâque Appendice, quam eidem Hypomnemati suo (ovum scilicet ovo simillimum) Schardius mox annexuit, sub hoc titulo: *Testimonia ex Variis Auctoribus collecta, Romam* (non veterem modò & Ethnicam, sed & recentiorum, seu Christi Sacris jam iniciatam) *Babylonem esse* (magnam nempe illam Meretricem Apocalypticam) *ejusque Episcopum jure Anti-Christum dici?* Tacebo jam reliqua, quæ hic Schardius ridenda potiùs miserandave quàm confutanda garrulitate in suæ magis ineptiæ quàm Pontificis opprobrium congeffit. Unum unicum S. Birgittæ (quam jam Anno Christi 518. obiisse, imperitissimus hic Pseudo-Criticus scribit, etsi Anno primùm 1373. ad superos illa migrarit) testimonium hic in medium profero: unde Schardius Andabata Anti-Christum ex Romano Pontifice se extundere posse somniaverat.

Legitur enim lib. I. Revelationum c. 41. de Romano Episcopo: *Tu peior es Lucifero* &c. *Tu es injustior Pilato* &c. *Tu es immitior Juda* &c. *Tu es abominabilior Judæis* &c. Ast primò: quisquis sani capitis totam revelationis seriem atque contextum pervolverit, mox agnoscet, non de Pontificibus universim (id quod heterodoxus calumniator intendit) sed de Pontifice *particulari*: non de dignitate & au-

Storitate Pontificis, sed de *moribus personæ*: non de errore dogmatis & fidei, sed de errore *conversationis* hîc agi. Additur enim: *per mala opera tua; per malum exemplum tuum: per turpe lucrum tuum: per malitiam tuam . . .* Secundò: Unde Pontificem laceffit Schardius inde se ipsum jugulat. Nam in ejusdem revelationis initio ita Christus eloquitur: *Nunc ergò conqueror super Te Caput Ecclesiæ MEÆ, qui sedes in Sede MEA: quam Petro & SUCCESSORIBUS EJUS tradidi, ad sedendum in ea TRIPLICI DIGNITATE ET AUCTORITATE.* Primò: ut potestatem haberent ligandi animas & solvendi à peccato. Secundò: ut aperirent Cælum pœnitentibus. Tertio: ut clauderent Cælum maledictis & condemnatis. Sed Tu, qui deberes solvere animas & ad me præsentare: tu verè es animarum interfector; scilicet, ut postea subjicitur & explicatur, per malum exemplum tuum, per mala opera tua, utique personalia. Nunquid autem Pontifex Romanus, tanquam Successor Petri, tanquam Caput Ecclesiæ Christi, sedens in Sede Christi, triplici dignitate auctoritatèque (heterodoxis aded invisâ) ornatus, hisce verbis exprimitur? num forsan & Anti-Christus, Successor Petri, Successor in Sede sua, Caput Ecclesiæ suæ, Animarum denique Rector triplici ligandi solvendique potestate instructus, ab ipsomet Christo unquam dicitur & agnoscetur? Nemo sanè, nisi demens aut blasphemus, ita ineptiet. Ut quid ergo in Pontificem quâ Pontificem ita Schardius grunnit, & dum per Birgittæ revelationes latus Pontificium petit, ipse sese maximè lædit, & cum Titio suum sibi jecur arrodit? Tertio: si laudatæ revelationes, heterodoxis aliàs exosæ, quidpiam apud Schardium & Schardii similes adversus Catholicos valent: quid nî & illa poterat legi, quâ lib. 3. c. 27, à Deipara dicitur: *inter istos duos, Petrum scilicet & Cælestinum (V) non omnes fuerunt boni, sicut nec omnes mali.* Et: à tempore Petri usque ad Bonifacium VIII. ex Civitate Romana innumerabiles animæ ascenderunt in cælum. *Adhuc tamen Roma non est sine amicis DEI.* Et tamen juxta Schardium & Schardii complices Roma, & Ecclesia Romana, Babylon est, meretrix illa magna, quisque verò Pontifex malus, quia quilibet Anti-Christus!

Dein quid ad exsufflandam Schardii proterviam ac sycophantiam luculentius esse poterit, quàm illa Divini Servatoris allocutio, quæ ibidem refertur lib. 7. c. 19. p. m. 558. Edit. Antverp. atque ita habet? *Ista supra dicta verba (de æterni supplicii minis) loquor ego ad illos Christianos Latinos obedientiæ Romanæ Ecclesiæ subiectos, qui mihi in Baptismo rectam fidem Romanam Catholicam devoverunt; & per opera mihi contraria à me totaliter recesserunt Græci autem, qui sciunt, quòd omnes Christianos tenere oportet unam tantum fidem Christianam Catholicam, & un-*

tantummodo subesse Ecclesie, scilicet Romanæ, unumque solum Vicarium meum generalem in mundo, videlicet Romanum summum Pontificem, supra se spirituales habere Pastorem, & tamen nolunt se eidem Ecclesie Romanæ & Vicario meo spiritualiter subijcere, & humiliter subjugare propter eorum pertinacem superbiam, & propter cupiditatem vel propter carnis petulantiam, sive propter aliquod aliud, quod ad mundum pertinet, indigni sunt post mortem veniam à me, & misericordiam obtinere Sciant etiam Græci, quod eorum imperium & regna, sive dominia, nunquam stabunt secunda, neque in pace tranquilla, sed inimicis suis semper subiecti erunt, à quibus semper sustinebunt gravissima damna & miseria diuturnas, donec ipsi cum vera humilitate & charitate, Ecclesie & Fidei Romanæ se devotè subjecerint, ejusdem Ecclesie sacris Constitutionibus & ritibus se totaliter conformando. An adhuc Roma Babylon meretricia, Ecclesia verò idololatrica, Pontifex Anti-Christus? Scilicet Meretrici idololatrica, scilicet Anti-Christo parendum Christus hic imperavit! Papæ! Quàm multò rectius egisset Schardius, si sub Græcorum schemate suos quoque Calvinicos aut Heroës Protestanticos vivis sanè coloribus depictos hic cognovisset! Sed nempe odit lucem, qui amat tenebras; maluitque Schardius pro eo, ut suos suorumque commilitonum palparet errores, hypomnematis appendicem alio quopiam prophetico, si superis placet, apologo & Epilogo exornare, jactitatio scilicet vaticinio Joannis de *Rupesissa*: quò Pontifex summique Ecclesie Principes vellicantur. Ast de his Pseudo-Prophetæ Phantasmatis & fati præter alios lege sis *Nat. Alex. T. VII. Hist. Eccl. p. 54. col. 2. de Pontificatu Ianoc. VI.*

Itaque paucis: Totum Hypomnema Schardianum aliud non est, quàm merissimum incitiæ seu veræ seu affectatæ compendium, & infanientis animi sputamentum. Quanquam & ista fimeta suos adhuc habent adoratores; illos videlicet qui & ipsi sua thura Deæ Calumniæ litant, atque in Romam Romanumque Pontificem multò crebrius sua fulmina vibrant, quàm in Tarpejas Jupiter Arces.

SCHOTTUS Andreas, Scriptor nuperus, Gedani sive Dantisci A. SCHOTTUS 1738. opusculum protulit, *Prussia Christiana* dictum: in quo vitam S. Adalberti, Episcopi Pragensis, copiosis quidem annotationibus auxit, at non modò Baptismum S. Stephani Regis, sed & prædicationem apud Hungaros obitam, S. Adalberto (veluti qui nunquam Hungariam viderit) aucter abjudicavit. Verùm leviusculis Annotationis hujus conjecturis abunde satisfacit & omne imaginarium robur ademit Stillingus T. I. Sept. in Comm. præv. ad Acta S. Stephani p. 485. §. XI. à n. 117. ad n. 122., & à p. 489. per totum §. XIII.

SCHWARTZ

SCHWARTZ SCHWARTZ Godofredus, recentissimus Author heterodoxus, Anno 1740. Hallæ Saxonicæ lucubratiunculam edidit, cum hac inscriptione: *Initia Religionis Christianæ inter Hungaros, Ecclesiæ Orientali asserta*. Nimirum hic Scriptor (ut ait Stilingus T. I. Sept. l. c. p. 456. n. 1.) cum gloriam conversæ Hungariæ Latinis ereptam vellet, omnem movit lapidem, ut verisimile faceret, Hungaros primò ad fidem adductos esse à Græcis; cumque vita S. Stephani Regis cum illo asserto cohære non posset, omnem auctoritatem prædictæ vitæ ablatam voluit. Ast triumphum sanè ante victoriam cecinit infelix criticus, cum suæ potiùs arrogantia, quàm legitimis argumentis confusus, non solum Chartuitium sed & alios purioris notæ scriptores frivole respuit, & pro suo potiùs (quod admodum tenuè) iudicio lubitùque, quàm ex debito rationum examine, non pauca in chartam conjecit. Verissimè de illo idem Stilingus l. c. p. 461. n. 21. „ Laudandum sanè esset scriptoris institutum, si solo
 “ veri studio duceretur Schwartzius: si modeste alios corrigere niteretur, & sua solide probare. Imò meâ quidem sententiâ, Opusculum ejus utilissimum esset, si tot veritates è tenebris eruisset,
 “ quot errores illi immiscuit: nam difficulter pagellas aliquot reperire in toto Opusculo possum, quæ erroribus careant, aut certe ineptis ratiociniis. Verùm nec studium veritatis, nec modestiam ullam in toto Opusculo invenio, nec novæ veritatis quidquam erutum, sed multa temere asserta, nihil solide probatum, nisi pauca quædam ex aliis scriptoribus desumpta. Eiusdem Schwartzii petulantem acerbitatem perstringit Stilingus p. 458. n. 9. nam Schwartzius, ut bile saltem suppleret, quod rationibus deerat, vitæ idonea reperit verba, quibus suam in hanc vitam (S. Stephani, à Carthuitio scriptam) odium satis declararet; etsi hæc scribendi methodus passim improbetur hoc tempore. Rursus pag. 457. n. 3. juxta Stilingum, rationes suas exposuit Schwartzius stylo longè acerbiori, quàm solidiori, pluraque peccat contra rectam rationem in oppugnando Chartuitio, quàm hic videatur peccasse in scribenda vita. Vidit ille hallucinationes, monstra, absurda, ubi nihil hallucinationis, nihil monstri, nihil absurdi. Et pag. 472. n. 63. nulli viro cordato placebit, quòd Schwartzius non hic modo, sed ubique in opusculo suo, scriptores sibi faventes supra meritum attollat, adversantes verò infra meritum deprimat.

Plura de hoc Schwartzio apud Stilingum occurrunt f. x. à p. 483., ubi de gemina visione, S. Stephani Parentibus facta, fit mentio. Ob has enim visiones Scriptores Catholicos (qui easdem ut genuinas admisere) maledica dicacitate carpit Schwartzius, & multa temere

merè effutit, licèt nullum habeat fundamentum, nisi crasso errore nixum. Unde illum non modò inaudita arrogantiæ sed & stolidæ temeritatis reum agit Stilingus; nam ne curam quidem habuit Vir heterodoxus, ut cautè calumniaretur. Vid. pag. 485. n. 114.

Alias Schwartzii objectiunculas futilissimas & ratiocinationes miserrimas (quibûs Hungarici Regni coronam non à Romano Pontifice, sed à Græcorum Imperatore fuisse collatam, ipsum verò Regnum nullatenus Divo Petro à Rege Stephano fuisse oblatum contendit) ita copiosè, eruditè, solidèque refellit Stilingus l. c. §. xx. XXI. XXII. XXIII. à pag. 507. ad 521., ut inepta, temeraria, imò & monstrosa (vid. n. 256.) Schwartzii effata quivis eruditus non exsibilare non possit.

SGUROPULUS Sylvester, Scriptor Græculus seu verus seu fictus, SGUROPULUS Concilii Florentini Historiam conscribillavit (si Editoribus Batavis. LUS. Anglisque fidendum) quæ Anno 1660. Hagæ Comitum in Hollandia è typis heterodoxis primùm emerfit, atque ita inscribitur: *Vera Historia Unionis non verè inter Græcos & Latinos: sive Concilii Florentini exactissima narratio, Græcè scripta per Sylvestrum Sguropulum, Magnum Ecclesiarcham, atque unum è quinque crucigeris & intimis consiliariis Patriarchæ CPolitani, qui Concilio interfuit. Transtulit in sermonem latinum, notisque ad calcem libri adjecit Serenissimi invictissimique Caroli II. Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Regis &c. Sacellanus domesticus, seu Ordinarius, Robertus Creighton. &c.* Sed quæ fides (inquit Labbeus T. XIII. Concil. col. 1280., & ex Labbeo Harduinus T. IX. Concil. col. 1079. 1080. item Cuperus T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. p. 187. n. 1124. 1125. 1126.) huic inscriptioni habenda sit, quàmque titulus hic magnificè mentiatur, cum alia multa declarant, tum illius Operis Auctor atque interpres. Quis enim ille sit verè Sylvester ac barbarus Sguropulus, si temporum testem historiam, si coætaeos posteriorésque Scriptores interrogas, homo nihili, ignotus, ignobilis, qui unus sibi testimonium dixit, illudque mendacissimum: neglectus hætenus ab eruditis, schismaticus, hæreticus, ac nationis suæ, quæ Catholicam Fidem cum Imperatore, Patriarcha, Episcopis ac Principibus, doctissimisque Viris susceperat, hostis infensissimus, illico deprehendetur. Neque alia ejusdem debet esse apud cordatos homines ratio, quàm Arrii aut Philostorgii de Nicæno, Nestorii de Ephesino, Eutychetis aut Dioscori de Chalcedonensi, Hieronymi Pragensis de Constantiensi, Albigensum de Lateranensibus Conciliis differentium. Quis enim ignorare potest, quid in Judices, quid in adversarios, quid in ipsos quoque interdum Patronos,

advocatósque suos deblaterent, quæ crimina obijciant, quas calumnias texant, qui causâ ceciderunt rei? Tales plerique Graculi, qui Marco Ephesino Antistiti ac similis farina contumacibus schismaticis, quàm apertissimæ veritati ac Catholicæ fidei adhærere maluerunt. . . Ad interpretem Creighthonum venio, cujus effrenis in Ecclesiam Catholicam, ex qua cum Majoribus suis desertor profugit, atque efferata rabies ex hoc ipso titulo libri, quem falsò dicit, è veritatem amantium manibus nunquam deponendum, ex dedicatione, præfatione, ac notis manifestissimè elucescit, quas spurcissimis in Romanos Pontifices, Cardinales, Episcopos, ceterósque Clericos ac laicos, qui interfuerunt quique secuti sunt, calumniis usque ad nauseam tœdiúmque lectorum referfit. Quódque mirère magis, ipsam quoque versionem ab hac hæretica lue in Papam effervescente noluit esse immunem. *Hucusque Labbeus*: qui dein versionis Creighthonianæ perfidiam uno alteróve exemplo, breviter quidem, at indubitanter, l. c. demonstrat; id quod uberius tum Leo Allatius in celeberrimis suis adversus Creighthoni Prolegomena exercitationibus, in forma quarta Romæ editis, tum alii postmodum præstitère.

Enimverò (ut rectè arguit *Cuperus* l. c. p. 185. n. 1115,) quæ fides adhibenda est perfido huic Sguropulo, qui in Historia sua Sect. x. cap. VII. fatetur, se Florentiæ contra apertum conscientia suæ dictamen Unioni subscripsisse? quis eruditus credat Scriptori schismatico, qui ne quidem apud incautos & simplices fidem meretur? Certè Casimirus Oudinus, efferatus fidei Catholicæ apostata, & testis in hac re minimè suspectus, in Commentario de Scriptoris Eccles. Tomo III. col. 2418. de illo sic pronunciat: *Hic abunde suam testatur ab Ecclesia Latina aversionem in Historia Concilii Florentini, qui si tantisper ab ira temperasset, Historiam suam apud incautos ac simpliciter ambulantes longè majori fide dignam effecisset.* Ita ex Oudino *Cuperus*: qui tam Sguropuli quàm Creighthoni calumnias quasdam atque mendacia refutat p. 185. n. 1115. p. 187. parergo x. p. 190. n. 1143. & à n. 1145. ad n. 1150. Esto, quòd eundem Sguropulum, saltem in supputationibus chronicis (quæ scilicet schismati suo obesse nil poterant) tanquam idoneum testem aliquoties ipse *Cuperus* admittat, v. g. n. 1114. 1139. 1142. Tam Sguropuli historia mendax, quàm spurca Creighthoni versio inter classis nefariæ scripta scriptorésque fuère rejectæ ex Decreto Congr. Ind. sub die XIV. April. 1682. *Vid. noviss. Index expurg. p. m. 91. 399. 429.*

SIGEBERTUS.

SIGEBERTUS. Vid. lit. C. verbò: *Chronicon. Sigeberti.* p. 154.

SIGO-

SIGONIUS Carolus, Mutinensis, à scriptiorum (quas Lexicographi Menkenius, Iselinus, aliique enumerant, & tum Gravius & Gronovius in Thesauro Antiquitatum Græcarum & Romanarum, tum Muratorius inter Scriptores Italicos, recentiori prelo rursum ornârunt) copia, eruditione, varietatēque notissimus, & de Antiquitate Historica non parùm meritus, vitæ curriculum explevit A. 1585. Ad rerum præcipuè Germanicarum notitiam duplex Sigonii lucubratio facit. I. *Historia de Regno Italia*, quæ libros xx. conficit. Horum priores quindecim sive ab A. 570. ad 1200. prodire tam Basileæ quàm Francofordiæ A. 1575. Quinque verò reliqui, sive qui ab A. 1200. ad 1286. continuantur, lucem accepere Venetiis & Francofordiæ A. 1591. Omnes demum xx. libros uno eodēque volumine dedit typographia Hanoviensis A. 1613. II. *Historia de Imperio Occidentali*, quæ similiter xx. librīs absolvitur, edita Bononiæ A. 1578. Basileæ A. 1579. Francofordiæ A. 1593. Non pauca tamen in his Sigonii Operibus criticus Lector offendet, in quibus accuratiorē rerum temporūque notitiam jure desideret, prout sæpenumero tam ex Pagii Critica, quàm ex Antverpiensibus SSorum Actis constabit. Unde Pagius T. IV. Crit. ad A. 1085. n. 5. ait, *Sigonium multa de suo dicere solitum, & cum magna cautela legendum.*

SLEIDANUS Joannes, natione Germanus, à natali Eifflæ oppido SLEIDANUS. *Sleida* sic dictus, homo monoculus, natalibus spurius, religione apostata, Calvinistarum Livius & Historicus elegans: sed & in elegantis mendax, Historiæ & veritatis corruptor, animam mendacissimam exhalavit A. 1556. Argentorati; qua in urbe antehac vulgaverat tum *Philippi Cominæ libros V. de Bello Neapolitano*, ex Gallico in idioma latinum à se translato, tum proprium suum *Commentarium de Statu Religionis & Republicæ Germanorum sub Carolo V. Cesare*, in xxvi. libros partitum. Qui tamen Commentarius cū apud peritiores non paucos de multiplici falsitatis & deceptionis vitio jure postularetur, eundem Sleidanus cum prævia Apologia Argentorati recudit A. 1555. Alius postmodum in hunc ipsum Commentarium Tabulas Chronologicas edidit, quæ post Sleidani obitum typis ibidem fuere mandata A. 1557. Non vacat hîc enumerare laudes, quas in Sleidanum suum congerere assolent A catholici, quæque legi possunt apud P. Schwartz Parte III. Colleg. Hist. p. 227. 228. Ipsa certè mendacia laudat aut imperitiam prodit, Sleidanum qui laudat. Quàm enim mendax sit Sleidanus, quàm vanus, quàm projectè impudens in iis depravandis, quæ totus mundus aliter, ac ipse narrat, gesta esse novit, non fugit illos, qui Sleidani Commentarios plenos lectitarunt; nec fu-

git *Carolus V. Imp.* qui cum *Sleidani Commentarios* vel legeret, vel legi audiret, hunc plausum dabat: **MENTITUR NEBULO, MENTITUR NEBULO.** Ita *Gretserus T. x. Operum* in *Apologia adversus Misenum Lib. 2. C. 5. p. 115.* ubi simul copiose atque ex ipsis legibus publicis ostendit, quam nulla *A catholicis* tribuenda sit fides, cum vel contra *Sedem Apostolicam* in genere, vel contra peculiarem quendam *Pontificem* scribunt. *Joannes Baptista Gallus IC. Cap. 2.* in *Annotationibus ad Thuani Historiam* hæc de *Sleidano* inseruit: *Joannes Sleidanus, Calvinista, mendaciorum loquacissimus, Historiam scripsit Thuanicæ simillimum. Quin etiam cum Cominei Historiam donaret Latinitate, ea plagiarius impudens subtraxit omnia, quæ Catholicam pietatem sapiebant. Et tamen Thuanus aut imprudens (quod vix credo) aut adfavens improbitati hominis eum vocat diligentissimum rerum Gallicarum observatorem: & negat à Catholica religione fuisse alienum, quem alienissimum fuisse omnes sciunt; nisi forte Catholica nomine Calvinisticam intelligit Thuanus.* Porro undecim falsitatum millia in *Sleidani Commentariis* detexisse scribitur *Bartholomæus Latomus*; quo quidem de numero etsi disceptare hic nolim, quàm plurimis tamen quæ fraudibus, quæ mendaciis & calumniis eam *Historiam* esse refertam, omnino exploratissimum est. Legatur è *Gallis Fontanus*, ex *Germanis Surius*, quorum alter in *Commentario brevi rerum in orbe gestarum* ab A. 1500. ad A. 1574. veteratorias *Sleidani artes & fabulamenta* multoties coràm exposuit, tantò utique fide dignior præ recentioribus *Sleidani Patronis*, quantò notior *Surio* fuit *Sleidanus*, quia contemporaneus. Addatur *P. Schwartz l. c. à p. 229. ad p. 246 Spondanus T. III. Annal. ad A. 1517. n. 6. A. 1535. n. 11. A. 1537. n. 8. 11. 14. A. 1541. n. 1. A. 1542. n. 4. A. 1543. n. 5. A. 1545. n. 7. A. 1546. n. 3. A. 1549. n. 12. A. 1552. n. 5. A. 1553. n. 9. 13. A. 1556. n. 8. Possevinus in Biblioth. Selecta de ratione Studiorum L. xvi. Cap. vi. p. m. 404. Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. T. I. in Apparatu prævio Cap. iv. n. 1. & 2.* Denique *impudentissimis hæreticorum libris in sua consarcinanda historia usum fuisse Sleidanum* ait *Raynaldus T. XXI. Annalium ad A. 1549. n. 23.* Quare jam de sui temporis *Catholicis Surius l. c. ad A. 1517. p. m. 90.* non immeritò hisce verbis conquestus legitur: *Mirum certè est, plerosque etiam Catholicos usque adeò SLEIDANI LECTIONE delectari; sed quia volumus passim omnia suspectæ fidei hominum Scripta legere, & videmur nobis ea esse judicii acrimonia & maturitate, ut facile de quibuslibet statuere possimus, falsaque à veris internoscere: ideo tam multi adeò leviter & pueriliter in fædos errores prolabimur, quorum meritò pudere possit non modò graves Viros, sed etiam*
 decre-

decrepitas anus & deliros senes. Et tamen interim videmur nobis in luce Evangelii versari, plus videre, quàm viderint Majores nostri, à quorum nos gravitate, integritate, prudentia, constantia, longissimè distamus, & plerumque temulenta muliercula & ex infima plebis fœce stolidissimi ac stupidissimi blaterones Scripturas divinas egregiè crepitant, eas se quovis Theologo rectius intelligere procaciter jactitant &c. Rejectus est Sleidanus unâ cum libris suis inter primæ Classis heterodoxos Auctores. Vid. noviss. Ind. Rom. p. 218. verbô: Joannes Sleidanus.

SOCRATES, patriâ CPolitanus (ut ipse de se fatetur L. V. c. 24.) & Helladii Ammonique Grammaticorum Gentilium ea in Urbe auditor (*Vid. Lib. V. c. 16.*) causas aliquamdiu ibidem actitavit, indèque *Scholastici*, id est, Causidici nomen obtinuit; sed abjectâ tandem Causidicinâ ad prosequendam Eusebii Cæsarensis Historiam Ecclesiasticam animum calamumque convertit. Suam itaque Historiam orsus est ab Anno, quò Constantinus M. Imperator est renuntiatus, eamque per VII libros perduxit usque ad A. 439., quò Theodosius junior decimum septimum Consulatum cum Festo gessit. Et si verò Socrates Eusebii Historiam continuârit, ejus tamen numerandi methodum, sive æram Abrahamiticam, à die prima Octobris incipientem, imitatus non est, sed pro epocha potiùs Olympiadum annos sibi selegit, eosque à Kalendis Septembribus duxit. Hujus porro Historiæ, quam Græcè Socrates scripsit & in Thalassii, Cæsarensis apud Cappadoces Episcopi, ordinatione per Proclum CPolitanum facta finiit, quatuor extant versiones latinæ. *Prima, Epiphani Scholastici*, qui Cassiodori hortatu eum laborem in se suscepit, teste ipsomet Cassiodoro in sua ad *Tripartitam* Historiam Præfatione, ubi ait: *Hanc Historiam Ecclesiasticam à tribus Græcis Auctoribus mirabiliter constat esse conscriptam, uno scilicet Theodoro Venerabili Episcopo, & duobus disertissimis Viris Sozomeno & SOCRATE, quos NOS per EPIPHANIUM Scholasticum LATINO condientes eloquiò &c.* Et in *Institut. divin. lect. c. 17.* ait idem Cassiodorus: *Post Eusebii verò historiam apud Græcos Socrates, Sozomenus, & Theodoretus sequentia conscripserunt: quos à Viro Epiphano disertissimo in uno corpore, DEO auxiliante, transferri curavi: ne insultet habere se facunda Græcia necessarium, quod nobis judicet esse subtractum. Secunda: Wolffgangi Musculi, Monachi Apostatæ, & in Helvetia tandem apud Bernates Professoris Theologi, sed heterodoxi. Tertia: Joannis Christophorsoni, Angli, Episcopi Cicestrensis. Quarta: Henrici Valejii, Scriptoris Gallici. Prodiit Musculi versio A. 1559. Sed de illa Eduardus Godsalvus Anglus in Præfatione ad Christophorsonianam ita pronuntiavit: Hic*

(Musculus) satis correctis, ut credible est, exemplaribus destitutus, innumeris locis turpissime labitur. Est porro adeo obscurus, ut interpretes egeant interprete: adeo salebrosus, ut lector identidem inhaereat: adeo lacunosus, ut Authores ipsi Græci, historiae suae sententias non fuisse expletas, graviter conquerantur. Et quod caput est, studio partium ductus, alienum sensum longèque à Græca veritate abhorrentem, & consultò & sæpenumero affingit, ut corrupisse potius, quàm convertisse, meritò existimari debeat. Idem cum Godsalvo de Musculo affirmat Suffridus Petrus in Præfatione ad Christophorsoni versionem, Coloniae editam A. 1580. Saltem idiomatis græci imperitiam, indeque ortam non uno in loco contextus historici depravationem in Musculo reprehendit Possevinus in Apparatu, verbo: *Socrates*: idque uno alteròve ineptæ versionis specimine testatissimum facit. Quare utilissimam non literariæ modò, sed & orthodoxæ Reipublicæ operam præstitit Christophorsonus, cum posthabito *Musculo* (qui Eusebium, Socratem, Sozomenum, & Evagrium &c. latinè reddiderat, Theodoretum verò, utpote jam antea à Joachimo Camerario A. 1536. Latinitate donatum, intactum relinquens, eidem prædictorum Auctorum Latino Volumini inseruerat) repudiatio etiam *Epiphaniò Scholasticò* (qui juxta Suffridum Petrum in Præfatione nuncupatoria ad Senatam Coloniensem, Christophorsonianæ versionis & Editioni Colonienfi præmissa, *nec Græca nec Latina lingua satis peritus indoctissima translatione sua propositos authores istos non converterit, sed planè perverterit*) novam penitus, quæ & fidelior, & disertior esset, eorundem versionem fuisset aggressus. Ast morte prævento opus integrum ad calcem usque persequi haud licuit. Unde postremum sive quartum Eusebii de Vita Constantini librum, cujus versio post Christophorsoni mortem aliò distracta fuerat, transtulit Nicolaus Carrus: tres verò ultimos Sozomeni libros, qui pariter adhuc vertendi supererant, latinè exposuit idem Suffridus Petrus. Exactior hæc Christophorsoni versio primò publicam lucem vidit Lovanii A. 1570. in forma octava, eodemque anno Coloniae Agrippinæ in folio. Recudit verò illam, simulque utilissimis adnotationibus aut castigationibus, in priori Editione neglectis, illustravit Suffridus Petrus, Levardiensis Frisius, Coloniae A. 1580. Hanc A. 1612. subsecuta est Editio Colonienfis Tertia, ubi præter ea, quæ jam antè adjecerat Suffridus, etiam studio & operâ Severini Binii, Colonienfis Canonici & SS. Theol. Doctoris accessere explicationes eorum locorum, quibus ejus temporis Novatores ad hæreses suas confirmandas abutebantur. Quoniam verò Christophorsoni sola latina versio absque textu Græ-

eo hætenus prodiërat, eodem adhuc anno 1612. (quo Christophor-
foni labor Colonia Agrippinæ jam tertium sub prælo sudaverat) Co-
loniæ Allobrogum iidem Autores Græci Græco-latinè ex Christo-
phorsoni interpretatione sunt publicati. Postremam denique eorum,
quos suprâ nominavimus, Scriptorum Græcorum Editionem Græco-
latinam unâ cum novis Adnotationibus, superiore seculo in Galliis
adornavit *Henricus Valesius*: quæ Academicis typis iterata fuit Canta-
brigiæ A. 1720. Notandum tamen, quòd in Editionem, quæ A.
1612. apud utramque Coloniam curata fuerat, error sanè non le-
vis irrepsit; nam in Socratis Historia ex editione Agrippinensi l.
7. cap. ultimo legitur, quòd hæc Historia *desinat* in anno secundo
ducentesimæ vigesimæ octavæ Olympiadis: in editione verò Allobrogenfi
exprimitur annus secundus *ducentesimæ vigesimæ* Olympiadis. Quod
utrumque cohærere nullatenus potest cum eo, quod Socrates l. 1.
c. 1. scripsit, se scilicet Historiam suam *ordiri* ab anno primo *ducente-
simæ septuagesimæ primæ* Olympiadis, quo *Constantinus M. Imperator est re-
nunciatus*. Multò proin emendatiùs hunc Socratis locum (nisi forsi-
tan ipsi potiùs transcriptores calculum erroneum ad Socratis Histo-
riam jam antiquitus adjecerint) in Cassiodori Historia Tripartita,
Basileæ A. 1523. & 28. edita, expressit Beatus Rhenanus Selesta-
diensis, cùm Socratis Historiæ finem in anno secundo *trecentesimæ
quintæ* Olympiadis fixit. Quanquam nec iste calculus undequaque
videri potest exactus, nisi quòd *trecentesimæ* Olympias certò debeat
legi. Quota verò ultra trecentesimam tunc cucurrerit, ex ea ma-
ximè quæstione dependet, quandonam imperare cœperit *Constan-
tinus M.* (inde enim Historiam Socrates auspiciatur) & quandonam
Theodosius Junior Consulatum XVII. gesserit; hîc namque narra-
tionem Socrates finit.

Ait verò de Socrate *Photius* in Bibliotheca Cod. 28. p. m. 9. edit. Augu-
stana: *Stylus illi non admodum splendidus, sed nec in dogmatibus valde ac-
curatus est. Baronius in Præfatione Annal. Eccl. ad Lectorem: Claudicat
æque veritas in Socrate, Sectæ Novatianorum addito, & Sozomeno eadem tincto fu-
lmine.* Profectò dubitari haud potest, quin creatis non paucis, nævis atque
mendaciis inquinata sit Socratis Historia, sive dein per unius Socratis per-
versitatem aut credulitatem, sive per interpolantium ac transcribentium
malitiam hæc inquinamenta evenerint. Sic I. refert Socrates Lib.
I. cap. XI quòd S. Paphnutius averterit Concilii Nicæni Patres à
continentiæ lege, Sacerdotibus atque Diaconis imponenda. Quæ
quidem narratio etsi pariter apud *Sozomenum*, *Gelasium Cyzicenum*,
Nicephorum & in Tripartita *Cassiodori* Historia extet, atque ut genuina
sincerâ-

fincerâque admittatur à *Natali Alex.* in Hist. Eccl. T. IV. Dissert. XIX. ad Sec. IV. *Christ. Lupo* T. I. Operum in Scholio ad Canonem 3. Nicænum: & T. III. in Schol. ad Canonem 13. Concil. Trull. *Schelfstratio* in Actis Orient. Ecclesiæ P. II. p. m. 846. *Petro de Marca* L. I. de Concord. Sacerdot. & Imper. C. 8. §. 4. *Gravesonio* in Hist. Eccl. P. I. Tomo I. Colloq. III. p. m. 132. Edit. Venet. atque ab heterodoxo *Basnagio* in Annalibus Politico-Eccles. ad A. 325. n. 30. aliisque &c. illam tamen merè fictitiam esse, & vel Socratem deceptorem, vel ipsummet ab alio impostore (Auxanone) fuisse deceptum, vel denique in Socratis & Sozomeni Historiam paulò seriùs ab incognito Novatiano balatrone & transcriptore illud figmentum fuisse intrusum, argumentis firmissimâs probat *Stiltingus* noster T. III. Sept. tum à p. 784. §. 4. de S. Paphnutio, tum in ejusdem Tomi Dissertatione Præliminari p. 13. §. 8. Stiltingo consentiunt *Baronius* ad A. 58. §. 21. & ad A. 325. §. 148. *Bellarminus* lib. de Concil. c. 18. & lib. 1. de Clericis c. 20. *Hemicus Valefius* in Annot. ad cit. cap. 11. lib. 1. Socratis: *Cabassutius* in Notit. Concil. cap. 16. ad Nicænum Canonem 3. p. 76. *Thomasinus* de Vet. & nova Disciplin. Eccles. P. I. Lib. 2. Cap. 40. §. 15. p. 421. & Cap. 60. §. 17. p. 422. *Sandinus* in Disput. Hist. de Historia S. Paphnutii &c. II. narrat Socrates L. IV. c. 26. quòd Valentinianus Imp. duas simul uxores, Severam atque Justinam, habuerit, imò etiam legem de duarum simul uxorum ducendarum, sive de simultanæ Bigamiæ permisso tulerit. Ast crassissimum isthoc sive ipsius Socratis, sive aliorum gerronum anile figmentum, à Socrate temerè creditum, ita evertit *Baronius* T. IV. ad A. 370. à n. 124. ad n. 129., ut nec minimæ verisimilitudinis micam in ea narratiuncula deprehendere fas sit, & mendacissimum illud commentum quivis lector non subodorari non possit. III. in Novatianorum favorem fabulam de Nectario Ep. CPolitano recenset L. V. c. 10. quam *Baronius* ad A. 383. n. 19. *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. p. 28. à n. 138. ad n. 141. validè conterunt. IV. falsissimum planè scripsit L. V. c. 19. quòd idem Nectarius Ep. CP. unicuique permiserit, ut pro arbitrio & pro animi sui sententia ad Sacramentorum communionem accederet, nec peccata sua Sacerdoti enunciaret. Ast privatam & publicam tam in Orientali quàm Occidentali Ecclesia pœnitentiam etiam posthæc perseverâsse, innumeris demonstrari potest exemplis. Hic satis erit attigisse Statutum Synodi Trullanæ seu Quinisextæ can. 87. *Qui reliquerit legitimam uxorem* &c. Pœnitentiam publicam hîc adulteris decernit Græca Ecclesia, ac proinde tribus post Nectarium Seculis adhuc persistit,

metia

etiam in Oriente, ejusmodi pœnitentia; sed rarior fuit ac mitior, nec nisi notissimis criminibus imposita ab Episcopo: sicque rediit ad primavam institutionem. Non mirum autem vel inauditum, rem notissimam adulterasse Socratem, hominem Novatianum; hæreticorum enim illud est ingenium ratióque scribendi, ut vel omissionibus vel falsis additionibus, vel interpretationibus quidlibet trahant in sui erroris patrocínium, quemadmodum quotidianâ constat experiéntiâ. Clerici & Basnagii Historiæ Ecclesiasticæ sunt ejusmodi depravationis evidens demonstratio. Constat autem de hæreticis Novatianis, quòd pœnitentiam, quam injungebant, nunquam relaxârunt, sed gravium criminum reos suæ conscientiæ divinóque judicio reservârunt. Hinc ut omnes Ecclesias ad *Novatianorum* sententiam transiisse innueret Socrates, illud de Nectarii lege vel conniventia figmentum adjecit. Ita *Du-Mesnilius* T. II. de Doctr. & Discipl. Eccl. L. XVII. n. 14 p. 137. Add. *Baronius* T. I. Annal. ad A. 56. à n. 26. ad 40. *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronol. p. 29. n. 143. V. Erroris convincitur Socrates, dum Lib. V. c. 20. ait, non nisi Eunomianos hæreticos à Theodosio fuisse exagitatos: reliquis autem, ut Arianis & Novatianis, conventus agere fuisse permissum. Hoc enim tum aliis Theodosii legibus, tum lib. XX. de hæreticis C. Theodos. manifestè refellitur, utpote quam contra omnes hæreticos Theodosius tulit. Vid. *Baron.* T. IV. Annal. ad A. 388. n. 56. ad n. 61. & ad A. 391. n. 15. VI. Quàm vehementer circa ritus Ecclesiasticos lapsus sit Socrates, inter aliâ prodidit lib. V. c. 20. & 21. Nam primò falsa assumptione affirmat, licuisse cuilibet absque veritatis Catholicæ dispendio, quâ die vellet, pascha peragere. Hoc scilicet ille, ut ex eo Novatianos suos Episcopos, unius occasione Sabbatii in transversum actos, excusaret. Vid. *Baron.* T. I. Annal. ad A. 58. n. 82. & T. IV. ad A. 391, n. 19. Secundò subdit, licere cuique, ritus suos peculiare sibi vindicare: dùmque diversarum Ecclesiarum ritus commemorat, magnopere impingit, ita scribens: *Qui sunt Romæ, TRES septimanas ante Pascha, SABBATHO & Dominico exceptis, simul jejunt. Sed crassam hanc hallucinationem luculenta demonstratione prostravit Baronius* T. I. Annal. ad A. 57. n. 198. & n. 204. *Pagius* T. I. Crit. ad A. 55. n. 9. Dein quid est illud, quod ait Socrates l. V. c. 21. *In Thessalia aliam consuetudinem invaluisse novi, ut ibi, qui Clericus sit, si cum uxore (quam, cùm esset laicus, ducebat) postquam Clericus factus sit, dormierit, Clericatu abdicatus sit: id adeò cùm omnes illustres PRESBYTERI in Oriente, & EPISCOPI etiam, modò ipsi voluerint, NULLA LEGE COACTI ab uxoribus abstineant; nam non pauci illorum, dum Episcopat-*

tum gerunt, etiam liberos ex uxore legitima procreant? An non his contraria prorsus scribebat hoc tempore S. Hieronymus adversus Jovinianum? Diaconos scilicet, & Universum Chorum Sacerdotalem nec ministrare nec offerre hostias DEO potuisse, qui servirent operi conjugali; nam & ipsius Joviniani assertione confirmat, esse non potuisse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Quem quidem morem tam in Occidentali quàm in Orientali Ecclesia viguisse, satis est manifestum. Vid. Baron. T. IV. Annal. ad A. 391. n. 19. T. III. ad A. 325. à n. 148. ad 152. & ad A. 314. n. 88. T. I. ad A. 58. à n. 17. ad n. 27. Stilling. T. III. Sept in actis S. Paphnutii à p. 784. §. 4. & in ejusdem Tomi Dissertatione præliminari de S. Gregorio Nazianzeno. Suyskenius T. IV. Sept in Actis S. Cypriani p. 245. n. 335. & 337., ubi falsitatis convincitur Pearsonius, dicens, matrimonii usum permissum fuisse Presbyteris tempore Cypriani. Sandinus in Disput. historica XIII. edit. Herbipol. &c. VII. Etsi Socrates in libri VI. Præmio, in quo de S. Chrysofomo agit, disertè moneat, se ibidem scripturum res sua ætate gestas, visasque à se, vel auditas ex iis, qui viderant: ex tota tamen illius historia liquet, quòd exiguam Socrates curam habuerit ad verum indagandum, & adversus S. Chrysofomum variis in locis iniquior Censor atque calumniator extiterit, ut rectè observavit Tillemontius in Chrysofomo Art. 1. & ex eo Stillingus T. IV. Sept. p. 405. n. 23. in Actis S. Chrysofomi. Quare (ut idem Stillingus l. mox cit. monet) dicenti Socrati non statim credendum, sed potius examinandum, an Socratis asserta cum Palladio (Scriptore gravi & Synchrono) congruant: an cum ipsa verisimilitudine non pugnent: an calumniis inimicorum S. Chrysofomi aures non præbuerit nimis faciles: & demum, an vera videantur singula, aut certè probabilia, quæ de gestis hujus Sancti more suo scriptis mandavit. Certè lib. VI. c. 22. ubi Sisinnium Novatianorum Episcopum variis laudibus extollit, deque gestis inter illum & S. Chrysofomum sermonem instituit Socrates, etiam figmenta quædam suæ relationi immiscet, tamque inconcinnum (quod haud dubiè ab aliquo Novatiano sibi relatum acceperit) tamque à Sancti moribus abhorrens responsum Chrysofomo affingit, ut ne vel umbram quidem verisimilitudinis habeat. Vid. Stillingus l. c. p. 522. n. 600. Eodem lib. VI. cap. 25. dum mortem Chrysofomi refert, ineptissimum Novatianorum contra pœnitentium absolutionem argumentum adoptans Socrates hisce verbis Chrysofomum carpit: *Vir ut antea dixi, propter abstinentiæ studium iracundiæ magis indulgens quàm verecundiæ:*

Et qui ob singularem sanctimoniam immodica oris libertate perpetuo usus est. Porro mirari non immerito subit, cur cum tanto studio flagraret temperantiae, eam tamen contemnendam esse in concionibus suis docuerit. Nam cum à Synodo Episcoporum semel duntaxat iis, qui post baptismum peccassent, concessa fuisset poenitentia, ipse pronuntiare non dubitavit: licet millies poenitentiam egeris, accede. Ob quam doctrinam tum à familiaribus suis reprehensus est, tum etiam à Sisinnio Novatianorum Episcopo, qui librum quoque adversus hoc dictum conscripsit, et ob id ipsum graviter exagitavit. Sic nempe Socrates, Novatianorum Patronus, aut ipse Novatianus, Chrysostomi sententiam perperam interpretatur, & Sisinnio Novatianorum Antistiti palam adversus Chrysostomum favet: imò etiam Novatianorum argumento mox utitur, qui jactitabant, remissione peccatorum per poenitentiam, quodammodo veniam peccatoribus ad peccandum concedi, viamque ad nova scelera aeterni. Ast nugæ hæ sunt hæreticorum, ab omni recta ratione alienissimæ. Quis enim sapiens dicat, sacerdotem, qui peccatori seridò poenitenti absolutio-nem impertit, permittere ipsi, ut peccata repetat, præsertim cum ab-solutionem non impertiatur, nisi seridò proponenti peccata nunquam repetere? Quin potius sacerdos poenitenti dicit cum Christo Joan. 5. v. 14. Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Quod si in aliqua Synodo (ut Socrates vult) decretum fuerit, ut lapsis semel tantum poenitentia concederetur, statutum illud fuit de poenitentia solenni, quæ ob gravissima crimina tum so-lebat imponi, quæque non iterabatur: non verò de poenitentia vulgari, de qua loquitur Chrysostomus. Vid. Stiltingus T. IV. Sept. p. 522, n. 600, 602. p. 523. à n. 607. ad 611, p. 524. 525, à n. 612. ad n. 619. Swyskenus T. IV. Sept. p. 169. à n. 178. ad n. 183. in Actis S. Cornelii. Baronius T. I. Annal. ad A. 56. n. 26. 27. Verissimè pro-in de Socrate Tillemontius T. VI. Impp. in Theodosio II. Art. 37. Vi-detur non satis discrevissè scripta et Personæ, quibus fidem habere debebat, eaque de causa tot errores historiae suæ immiscuisse. Et Art. 38. Non videtur etiam satis cognovissè consuetudines et doctrinam Ecclesie: quod fortasse to-lerabile erat in laico, nisi toties voluisset loqui de rebus istis, sibi non satis cognitis, et quidem de iis subinde loqui, ut censor et Judex. Hac de causa Photius asserit, eum non esse accuratum in dogmatis. Eadem ex Til-lemontio repetit Stiltingus T. III. Sept. in Actis S. Paphnutii §. IV. Denique VIII. S. Proclum Ep. CP. turpissimæ indifferentiæ ac criminose ignaviæ arguit Socrates Lib. VII. C. 41. Ast mendacissimam hanc criminatio-nem ex ipsis Procli gestis diluit Cuperus T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. p. 41. n. 208, 209, 210, 211. Plura de Socratis erratis vide

apud *Baronium* T. I. III. IV. V. *Annal.* verbò: *Socrates*: item apud *Possevinum* in Apparatu. Etsi verò & *Cassiodorus* non pauca *Socratis* (uti & *Sozomeni*) errata in suam pariter *Historiam Tripartitam* transtulerit, nihil tamen *authoritatis* inde *Socrati* accedere potest. Neque enim in *Historia* hac compilanda aliud *Cassiodori* consilium fuit, quàm de *singulis Dictatoribus* deflorata colligere, & cum *Authoris sui nomine* in ordinem collocare, ut in ejusdem *Historiæ Præfatione* ipsemet monet.

Ceterùm *Novatianus* num fuerit *Socrates*, an *Novatianis* solummodo faverit, *Eruditi* inter se discrepant. Et favisse quidem *Novatianis*, consentiunt omnes; imò ipsa *Socratis* *Historia* legentibus indubitatum id facit. Fuisse verò *Novatianum*, negat *Valesius*, qui in *præfatione* ante *Græco-Latina* amborum (*Socratis* & *Sozomeni*) *Opera* orthodoxam horum *Auctorum* religionem tuetur, nihilque in *Socratis* *Historia* reperisse se ait, quod *Novatianum* illum extitisse convincat. Favere quidem eum plerumque *Novatianis*, ut cum *Novatianum* illius *sectæ* *Auctorem* inter *Martyres* numerat; cum *Novatianos* arctissimâ benevolentiam conjunctos fuisse *Catholicis* dicit, & unâ cum illis in *Eccllesia* *Deum* orasse. Verùm aliud est, favere *Novatianis*: aliud, esse *Novatianum*. *Socrates*, homo paulò severior, illorum disciplinam atque abstinentiam probabat: sed *Eccllesiam* perpetuò appellat simpliciter & absolutè *Eccllesiam Catholicorum*, opponens eam *Eccllesiis* aliarum *Sectarum*, de quibus agit in libro VI. cap. 19. & seq. *Arianorum* scilicet, *Novatianorum* & *Eunomianorum*. Ita *Valesius* & cum eo *Pagius* T. II. *Crit.* ad A. 439. n. 9. Dissentiunt ab his *Baronius* T. I. *Annal.* ad A. 56. n. 24. 26. 27. T. IV. ad A. 391. n. 19. T. V. ad A. 415. n. 40. *Nicephorus Callistus* lib. VI. *Hist. Ecclles.* c. 37. & lib. IX cap. 13. *Dumesnilius* T. II. de *Doctrina* & *Discipl. Eccl.* L. XVII. n. 14. p. 337. *Stiltingus* T. IV. *Sept.* p. 522. n. 598. n. 601. imò ipse *Valesius* pristinam suam opinionem deseruisse videtur, cum in *Annotatis* pag. 82. ad *Socratis* librum VI. caput 25. (quem locum superius jam exscripsimus) ita commentatur: *Ex hoc loco certius, quàm ex ullo alio colligi potest, Socratem Novatianum fuisse; nam & Chrysostomi sententiam perperam interpretatur, & Sisinnio Novatiannæ Partis Episcopo palàm favet adversus Joannem Chrysostomum.* Quam *Valesii* observationem jam antea suam fecerat *Baronius* T. I. ad A. 56. n. 26. & 27.: & postea *Stiltingus* Tomo cit. n. 601. Et sanè quisnam verè *Orthodoxus* ea scribere poterat, quæ *Socrates* scripsit aut finxit? ut cum *Novatianum* *sectæ* illius *auctorem* inter *Martyres* collocat; cum *Pauli* *Novatiani* *precibus* mi-

faculum quoddam CPoli fuisse patratum enarrat: cùm singula, Novatianam sectam spectantia, diligentia incredibili persequitur: cùm Sisinnii Novatiani Orationem commendat, habitam adversus Chrysostomi dictum: *Etiam si millies penitentiam egeris, accede: cùm Chrysostomum, Novatiani adedò infensum atque invisum, multoties audacissimè & mendacissimè carpit: cùm denique Novatianos Catholicis conjunctissimos fuisse falsissimè jactat. Hæc certè omnia scripturæ nemo facilè sustinuerit, nisi qui Novatianus simul ipsemet esset. Neque refert, quòd Ecclesiam, à Novatiani & c. alienam, Catholicam nuncuparit Socrates, eamque à Sectis ceteris per peculiarem hujusmodi nomenclationem distinxerit: nam & olim & hodie tam Novatores antiqui quàm recentiores Ecclesiam Romanam, sui temporis sectariis oppositam, antonomastica (quia ubique receptissima) appellatione Catholicam vocitârunt & vocitant: quin idcirco ipsimet pro Catholicis possint aut velint haberi. Unde nec in Socratem Catholicis elogium cadere poterit, quòd Ecclesiam, à novitiis sectis dissentientem, rotundo Catholica nomine compellârit. Quin tantum abest, ut orthodoxis accensendus sit Socrates: ut etiam Baronius T. V. Annal. ad A. 402. n. 17. 18. illum non modò Novatianum, sed & Origenistam fuisse concludat ex iis, quæ is Libro VI. cap. XII. de S. Methodio scripsit. Supponit enim Methodio *Dialogum* quempiam, sive Apologiam, *Zenonem* dictum, in qua palinodiam cecinerit Methodius, & Origenem, quem antea vituperârît, summis postea laudibus celebrârît. Ast cassas nuces à Socrate hîc venditari, & tam palinodiam istam, quàm Apologiam Methodii ad putida commenta pertinere, præclare demonstrat Baronius l. c. Præterea ad A. 400. à n. 52. ad n. 72. probat *Baronius*, quòd commentitia Origenistarum scripta & contumeliosas adversus Theophilum Alexandrinum narratiunculas Socrates (uti & Sozomenus) in historia sua ut genuinas admiserit: etsi pluribus ex argumentis aperta narrationis falsitas, calumniæ, atque mendaciæ possint ostendi atque refelli. Unde & *Sollerius* T. V. Junii in Hist. Chronolog. Patriarch. Alexandr. p. 52. n. 268. ex Socratis (& Sozomeni) de Theophilo narrationibus infert, in aperto esse, quòd Socrates (& Sozomenus) Origeni & Origenistis Monachis palam patrocinentur.*

Addendum tamen hoc loco erit, quod Baronius T. V. Annal. ad A. 439. n. 39. ait: licet Novatiani essent (Socrates & Sozomenus) & in iis, quæ ad ipsorum dogmata spectant, privato studio plura mentiti esse reperiantur, dum præsertim falsa miracula suis tribuunt Novatiani: tamen majoris fidei apud Gelasium Romanum Pontificem hos fuisse, quàm Euse-

bium Casareensem, inde possumus existimare, quod Eusebii Historiam reiicit inter apocrypha, Socratis verò & Sozomeni nequaquam. Imò pleraque apud Socratem (si Novatianorum aut Origenistarum res demas) veritatis habere suffragium, vel inde coniciēs, quòd eadem apud scriptores Criticos, uti & Baronium, tanquam vera aut probabilia multoties adducantur & admittantur.

SOZOMENUS. SOZOMENUS Hermias, Patriâ Salaminius, & Socrati contemporaneus scriptor, in forensibus causis CPoli diu versatus atque ob istud perinde, ac Socrates, *Scholasticus* dictus, Ecclesiasticam pariter Historiam in novem libros divisam conscripsit, quam Theodosio Juniori nuncupavit, & à tertio Crispi & Constantini Cæsarum Consulatu usque ad XVII. ejusdem Theodosii Consulatum est persecutus, prout in Epistola dedicatoria ipse testatur. Ea tamen, quæ hodie extat, Sozomeni Historia manca omnino & mutila est; definit enim in morte Constantii Imp. & inventione Reliquiarum S. Zachariæ Prophetæ: etsi penultimo capite sive XVI disertè narrationem de Protomartyris Stephani inventionem se pariter facturum promittat; imò in totius operis præfatione sive Epistola nuncupatoria Historiam suam usque ad XVII. Theodosii Consulatum à se fuisse productam luculenter affirmet. Anni proinde propè viginti in ea desiderantur, qui sive temporum sive veterum graphionum & librariorum injuriâ vel incuriâ excidère. Eadem de diversis Sozomeni Editionibus huc referenda, quæ suprâ in Socrate diximus.

Photius in Biblioth. p. m. 9. hæc solummodo de Sozomeni historia notat: *Est Socrate in Stylo præstantior; à quo etiam in narrationibus quibusdam dissentit.* Gregorius M. Libro VI Registri Epistolarum Epist. 31. Edit. Artverp. de Anno 1615. ita ad Eulogium, Alexandrinum Præsulem, scribit: *ipsam quoque SOZOMENI historiam Sedes Apostolica recipere recusat: quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsvestiæ nimium laudat, & usque ad diem obitus sui magnum Doctorem fuisse perhibet. Restat ergo, ut si quis illam historiam recipit, synodo piæ memoriæ Justiniani temporibus de tribus Capitulis facta contradicat. Qui ergo huic contraria dicere non volet, illam historiam necesse est, ut repellat.* Sed (ut inquit Baronius T. V, Annal. ad A. 439. n. 40.) quo sensu accipienda ista sint, nemo non videt, qui rem, de qua agitur, probè considerat; nimirum non recipi ab Ecclesia Romana Sozomenum Theodori Mopsvesteni laudatorem: quem qui recipiat, Quintæ Synodo, in qua ille damnatur, refragari se sentiat. In reliquis autem, quæ vera dixit, quomodo potuit ab Ecclesia Romana non recipi? Etenim Anastasius Bibliothecarius de eadem Sozomeni Hi-
sto-

storia hæc habet in præfatione Miscellæ: Verùm quia quosdam horum
 mentitos in quibusdam fuisse, & quædam prætermisisse probatur (quemad-
 modum & Sanctus Papa Gregorius de Sozomeno apertissimè scribit) obsecro,
 mendacia eorum veris approbationibus arguas, & quæ omiserunt, nihilomi-
 nus suppleas. Vides igitur, clarissimum eruditione Virum Anastasium
 non proiicere Sozomenum, sed purgari ea & augeri desiderare:
 quæ ipsa, ut sæpe vidisti Lector, nos pro viribus præstare conati
 sumus. Sed alibi in Notis ad Romanum Martyrologium (23. De-
 cemb.) redarguimus Melchiorem Canum, qui L. II. loc. Theol. c. 6.
 Magnum Gregorium audacter nimis historiarum ignorantia sugilla-
 vit, dum quæ apud Theodoretum de laude Theodori Mopsvesteni
 reperiuntur, Sozomeno Gregorium tribuisse rem ignorans ipse pu-
 tavit. Non attendit Censor iste, desiderari duos Sozomeni libros,
 in quibus de Theodoro illo tractabatur Historia. Hæc Baronius; qui
 tamen memoriâ lapsus videtur, cum duos Sozomeni libros hodie de-
 siderari hic asserit: nec enim plures, quàm novem Historiæ suæ li-
 bros à se concinnatos fuisse Sozomenus ipse in Præfatione fatetur.
 Atqui hi extant, quamvis non integri: proindeque non duos libros,
 sed plura Libri noni capita intercidiisse fuerat scribendum, & in his
 ea ipsa, in quibus Theodori Mopsvesteni laudes fuisse contentas
 Gregorius Magnus affirmat. Verùm eam Baronii adversus Canum
 responsionem non probat Valesius, aiens, etiam Gregorii M. ætate
 integriores non fuisse Sozomeni Codices, quàm nunc sint; cum &
 Cassiodori temporibus, qui tamen S. Gregorium antecessit, nihilo
 auctiores iis extiterint, quos modò habemus: idque ex ipsamet ejus-
 dem Cassiodori Historia Tripartita perspicuum reddi. Atque in
 hanc Valesii opinionem etiam propendere videtur Natalis Alexander
 T. V. Hist. Eccl. Cap. IV. Art. XVIII. de Script. Eccl. Sæc. V. p.
 m. 140. maximè verò Pagius T. II. Crit. ad A. 427. n. 17. ubi Va-
 lesii conjecturam tanquam certam defendit. Ea tamen infirmior est,
 quàm ut quidquam pro Cano & Valesio adversus Gregorium at-
 que Baronium probet. Inprimis enim, licèt Cassiodorus Grego-
 rium antecesserit, synchroni tamen ambo fuère; sive enim Cassio-
 dori obitum ad A. 562. cum Baronio, sive ad A. 575. cum ple-
 risque aliis reiicias, etiam Gregorius jam Anno 573. Præfecturam
 Urbanam gesserat Romæ, antequam Universæ Ecclesiæ Anno de-
 mum 590. præficeretur. Potuit autem contingere, ut etiam ex
 contemporaneis Scriptoribus alter altero perfectius Sozomeni
 exemplar sit nactus; quæ apographorum diversitas in ama-
 nuensibus utique & transcriptores est reiicienda. Sic & Francicorum
 Anna-

Annalium, qui Loifeliani dicuntur, multò integrius & consummatius exemplar Loifelius, imperfectum verò mancúmque Henricus Canisius penes se habuere. Quare licet in Tripartita Cassiodori Historia nulla ex Sozomeno Theodori Mopsvesteni mentio fiat, eam tamen in pleniore Sozomeni Historia reperire potuit Gregorius. Neque temerè credendum, quòd Apostolica Sedes Scriptoris cujusdam Historiam, ob certas quaspiam assertiones in ea contentas, nominatim repudiet, nisi, cujus auctoris ea assertio atque Historia sit, probè priùs inspexerit. Dein si ex Cassiodori Tripartita argumentum Valefius ducat, adèd nihil pro Eano evincit, ut contra se ipsum potiùs pugnet. Continet Tripartita libros XII., Sozomeni Historia libros IX., prout hic ipse in proloquio suo de se testimonium dicit. Porro liber XI. & XII. Tripartitæ ex uno Socrate constat esse conflatus. Liber verò X. (quantum ad Sozomenum spectat) jam sistit in Eiusdem libro VIII. capite XXV. Desunt igitur in Tripartita Historia non solùm tria capita ex octavo Sozomeni libro, sed & totus liber IX. ejusdem Sozomeni, qui prout hodie extat, saltem XVII. capita adhuc complectitur. Proinde, quid aliud juxta Valefii argutationem inde deduces, quàm quòd totus Sozomeni liber nonus sit addititius, neque Cassiodori ætate jam cognitus? eccur istud? quia videlicet in Cassiodori Tripartita nihil eorum, quantumvis memorabilem, legitur, quæ in nono Sozomeni libro narrantur. Quapropter sicut quæpiam libri VIII. capita & totum Sozomeni librum nonum (quem ut genuinum hujus Auctoris partem omnes hucusque Eruditi agnovèrunt) Cassiodorus in sua Tripartita penitus prætermisit: ita pariter mirum non est, quòd is ex Sozomeno Theodori Mopsvesteni nequiquam meminerit, cujus mentionem in ipsissimo Sozomeni libro nono extitisse tam Gregorii, vix integro seculo Sozomeno posterioris, quàm Anastasii Bibliothecarii, Gregorium minimè corrigentis, auctoritas dubitare haud finit. Nonum enim Sozomeni librum hodie mutilum esse, & viginti propè annorum periodum ex eo interiisse, jam supra indicavimus. Nimirum Cassiodorus id unum sibi proposuerat, ut ex singulis hisce Scriptoribus, Socrate, Sozomeno, & Theodoro quædam exciperet, atque in unum Opus redigeret, Socrate tamen maximè usus, etsi Sozomeni Historia nonnihil prolixior atque enucleatior, quàm Socratis, esset. Unde quemadmodum ex prioribus etiam Sozomeni libris non pauca rescidit atque reticuit Cassiodorus, ita etiam Theodori Mopsvesteni laudes (quas ex Theodoro

reto quidem recensuit) ex Sozomeno referre neglexit, præcipuè quòd nonum hujus librum ne verbò quidem attigerit.

Sed nec ob sola Theodori hujus præconia Sozomenus vapulat; sunt & alii ejusdem errores, quos partim cum Socrate communes, partim sibi reddidit peculiare. Sic *Primò*: Lib. VII. c. 19. ait: *Neque Episcopus, neque alius quisquam hic (Romæ) in Ecclesia docet.* Sed quid ineptius dici potest? nonne S. Ambrosius recitat Sermonem Liberii Papæ ad Populum, cùm Soror Ambrosii Sacrum velum, virginitatem professa, accepit? nonne Sancti Leonis adhuc extant Homiliæ ad populum dictæ? Scripsit verò Sozomenus eodem Leone sedente, qui Sermone III. de Epiphania, & alibi, adedè officii sui esse fateatur, verba facere ad concreditum gregem, ut etiam ad culpam sibi metuat imputari, si huic ministerii sui parti defuerit. Vid. *Baron.* T. IV. ad A. 391. n. 19. *Pagius* T. I. Crit. ad A. 55. n. 9. *Quesnellus* Differt. I. de Vita & gestis Leonis M. ad A. 440. *Nat. Alex.* T. III. Hist. Eccl. Differt. IV. ad Sec. II. p. 349. Minùs itaque rerum Romanarum peritum se hìc ostendit Sozomenus; quemadmodum & cùm scriberet eodem l. 7. c. 19. quòd *semel* duntaxat in anno *Alleluja* Romæ cantari consueverit, contrarium demonstrante *Baronio*, juxta quem in ipsis defunctorum Exequiis *Alleluja* accinendi consuetudo tunc viguit. Vid. *Baron.* T. IV. ad A. 384. n. 22. 23. ad A. 391. n. 19. *Secundò*: Lib. VII. cap. 8. miram *Nectarii* Ep. CP. electionem describit: cujus adjuncta sive circumstantias tum ob corruptos antea *Nectarii* mores, tum ob Veterum (& ipsius *Socratis* l. 5. c. 8.) silentium heteroclitas aut parùm verosimiles esse, probat *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronolog. p. 27. & 28. à n. 130. ad n. 138. *Tertiò*: Lib. VII. c. 22. obscurissimam narratiunculam, à versipellis scilicet *licariis* in publicum sparsam, de *Valentiniani Junioris* obitu in suam pariter Historiam transtulit, veluti qui spontaneò laqueò sibi mortem consciverit. Ast parricidalem hanc fabulam refellit *Baronius* T. IV. Annal. ad A. 392. à n. 6. ad 14. ex *S. Ambrosio*, & *Zosimo*. *Quartò*: Lib. VIII. c. 23. *Arfacium* Ep. CP. ut *Virum mansuetum* & erga *DEUM religiosum* describit. Et tamen fautores *S. Joannis Chrysoptomi* crudeliter afflixit *Arfacius*, ut ipse *Chrysoptomus* Ep. 115. juxta *Montfauconianam* Operum editionem testatur. *Palladius* verò, similiter synchronus, in *Dialogo* de vita *S. Joannis Chrysoptomi* ex Græco-latina editione *Bigotii* p. 94. & seq. *Arfacium* de violata jurisjurandi religione redarguit. Vid. *Cuperus* in cit. Hist. Chronol. p. 31. n. 154. *Quintò*: Quàm iniquus (etsi *Socrate* modestior) in *Chrysoptomum* fuerit *Sozomenus*, vide *Stil-*

tingum T. IV. Sept. p. 524. 525. à n. 612. ad 619 Plures alios Sozomeni lapsus historicos ex *Baronio* refert *Possevinus* in Apparatu : & tam hic quàm ille eundem pariter Novatianis accensent ; quanquam id paulò minus de Sozomeno quàm de Socrate , constare videtur. Pleraque autem ex vero aliàs scripsisse & ad hauriendam Ecclesiasticæ notitiæ lucem nobis lampada prætulisse Sozomenum , nemo , qui eundem pervolverit , rite negabit.

An verò à Socrate non pauca mutuârit Sozomenus , Critici Recentiores inquirunt , vel potiùs supponunt , ut *Tillemontius* T. VI. Imp. in Theodosio II. Art. 39. *Nat. Alex.* T. V. Hist. Eccl. Art. XVIII. de Script. Eccl. Seculi V. p. 140. *Cuperus* T. I. Aug. in Hist. Chronolog. Patriarch. CP. p. 28. n. 138. in fine. *Stiltingus* T. III. Sept. p. 787. n. 42. in Comment. Historico-Critico de S. Paphnutio : & T. IV. Sept. p. 405. n. 24. in Actis S. Chrysof. Res eò maximè devolvitur , utrum Socrates ante Sozomenum , hic ante Theodoretum scripserit , & alius ante alium Historiam suam jam publicârit. Affirmat hoc *Valesius* in Præfationibus suis ad eorundem Authorum versionem. Negat *Pagius* T. II. Crit. ad 427. n. 15. 16. & post refutata *Valesii* argumenta , ita demum subjungit : „ Quare non dubito , quin tres isti Scriptores , qui omnes sibi idem argumentum proposuère , non solùm sub extremis Theodosii Junioris temporibus , quod de Socrate & Sozomeno infrà videbitur : sed etiam eodem tempore Historias suas Ecclesiasticas in lucem emiserint. Luculentum hujus rei exemplum habemus in Historia Pelagiana , quam nuper duo Viri doctissimi , Cardinalis Norisius scilicet & Garnerius , eodem tempore ex Veterum monumentis maxima cum laude , ingentique labore eduxère , & publici juris fecère. Horum enim alter diligentissimè quædam persecutus est , quæ alter aut prætermisit , aut leviter attigit. Uterque easdem difficultates iisdem rationibus & Antiquorum testimoniis quandoque resolvit , & sæpe ubi unus offendit , alter scopulum tanta felicitate superat , & quod dici potest , in contrarium ita solidè discutit , ut credas , eum alteri confutando totum intentum fuisse. Si enim in Historia scribenda quandoque peccatur , multò magis in Critica , in qua aliquando non offendere potis non est. Quemadmodum autem dici non potest , unum ex duobus istis Historiæ Pelagianæ Auctoribus plura ex altero furatum esse (cùm alter alterius Opus non viderit) ita non audiendus *Valesius* in eo , quod autumat , ex tribus Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus alterum alterius Scrinia compilâsse , & ex illis eum , qui alteri aliquid addidit , aut alterum interdum emendavit , hunc posteriorem videri scripsisse. „ Atque huic *Pagii* responso

sponso non illibenter & ego subscribo. Ait enim Socrates in Historia suæ Proëmio, ea se perspicuè expositurum, quæ aut literarum monumentis tradita invenisset, aut ab illis, qui ea oculis viderint, audivisset. Nunquid & Sozomenus, Scriptor ex æsse synchronus, eadem literarum monumenta (neque enim in unius Socratis manum retroacta antiquitatis arcana fuisse collecta, aut unum unicum Documentorum Veterum exemplar tunc extitisse, gratis quis suspicabitur) præ manibus suis habere? nunquid & iisdem hominum contemporaneorum sive oculatis sive auritis testimoniis potuit uti, quorum aliud alio nunc magis minusve sincerum, nunc magis minusve exactum atque perspicuum esset? Et quamnam tandem gratiam à Theodosio Cæsare, cui Historiam suam inscripserat, polliceri sibi poterat Sozomenus, si ex Socrate, jam antè per publicas hominum manus volitante proindèque nec aulæ nec Cæsari incognito CPolitano Scriptor, ipse non modicam Historiæ suæ partem harpagasset, quin tamen hujus Antesignani sui (Socratis) vel verbulò uspiam meminisset? Demum cum & Socrates & Sozomenus eundem Historiæ suæ terminum, scilicet XVII. Consulatum Theodosii. sibi selegerint, Sozomenus verò suum Opus eidem Theodosio adhuc superstiti (sub annum postea 450. demortuo) certò dedicârit: quod argumentum nos convincere poterit, quòd Socratem potiùs Sozomenus exscripserit & subinde emendârit, quàm quòd Sozomenum Socrates aliquando expilârit, & vel corruerit vel decurtârit?

SPECULUM EXEMPLORUM, quod incerto auctore aut Collectore primùm SPECULUM prodit Daventriæ A. 1481., recusum postea fuit Colonia Agrippinæ A. EXEMPLO-1485.: Argentorati A. 1487 & 1495.: Hagenoæ A. 1519. dum tandem RUM. recentioribus curis novaque centum & sexaginta exemplorum additione locupletius illud edidit Joannes Major, S. J. Theologus, Duaci A. 1607.: quam Editionem postmodum instauravit Typographia Colonienfis A. 1653., cum hac inscriptione: *Magnum Speculum Exemplorum: cum antea simplici nomenclatione Speculum Exemplorum fuisset inscriptum. De Speculi hujus fide & auctoritate Melchior Canus L. XI. loc Theolog. c. 6. p. m. 337. Edit. Colon. de A. 1585. liberrimum istud pro more suo judicium tulit: Nec ego libri illius Auctorem excuso, qui Speculum Exemplorum inscribitur; in illo enim miraculorum monstra sepiùs, quàm vera miracula legas. Sed nec ipse Joannes Major eandem omnibus Speculi hujus narrationibus fidem commodasse videtur; ita namque lectorem in libri fronte præmonuit: Si quæ incredibilia, vel fabulosa, vel tantum ad ciendum risum efficta videntur, qualia paucissima sunt,*

sunt, solùm in navigiis, vehiculis, mensis, vel jucundis congressibus narranda exerentur.

Inter hujuscemodi commenta palmaria connumerandum haud dubiè venit fatum illud terribile, quod ex sola Speculi hujus auctoritate de Udone quopiam, putatio scilicet Magdeburgensi Præsule, passim circumfertur, & subinde è sacris etiam pulpitis enarrari perperam consuevit. Nam non modò ex ipsis Chronicis & Tabulis Magdeburgensibus (quas optimè inspexerat Woltherus Streversdorffius) sed & ex ejusdem aut supparis ævi Scriptoribus, ut *Ditmaro* Merseburgensi, *Adamo* Bremensi, *Conrado* Urspergensis &c. certissimè habemus compertum: I. quòd nullus unquam *Udo* sive *Seculo* X. (quo tamen exeunte periisse is scribitur) sive *Seculo* XI. inter Archiepiscopos Magdeburgenses extiterit. Ordo enim Antistitum non interruptus ita se habere dignoscitur: *Adalbertus*, *Gislerius*, *Tagmo*, *Waltherdus*, *Gero*, *Hunfridus*, *Engelhardus*, *Wezilo*, *Hartwigus*, qui A. 1102. ad Cœlites abiit. II. quòd hi omnes & ætate & dignitate jam antè fuerint conspicui, quàm pastorali pedò donarentur; contrà verò ne adolescentiam quidem post se reliquerat *Udo* imberbis, cum jam ad Infulas fuisse translatum Speculi Author prætexit. III. Nemo eorum, quos antè nominavimus, Præsulum à Scriptoribus contemporaneis circa illa vitia vapulat, quorum *Udo* à Speculo arguitur. Imò *Adalbertum* ut *Summe Sanctitatis Virum* laudat *Ditmarus* & *Adamus* Bremensis. *Gislerium*, licèt *Ditmarus* ob Archiepiscopatum per artes obtentum atque præreptum infimulet, *Adamus* tamen Bremensis ut *Virum* postea *Sanctum* extollit, qui *novellos Winulorum* populos doctrinâ & virtutibus illustrârit. Porro *Tagmonem*, *Waltherdam*, atque *Geronem* miris laudibus celebrat *Ditmarus* contemporaneus; *Adamus* verò Bremensis *Geronem* & *Hunfridum* Viros etiam *Sanctos* & *Episcopali nomine dignos* appellat. *Engelhardum* & *Wezilonem* nemo saltem Scriptorum vituperat. *Hartwigum* denique (qui ab alio *Hartwigo*, *Hersfeldensi* Abbate, in ejusdem *Hartwigi* Archiepiscopi locum per *Henricum* IV. intruso probè est distinguendus: de quo *Vid. Christ. Lupus* T. VI. Operum p. 341. col. 2.) luculentis elogiis prædicat *Conradus* Urspergensis, vel potius *Chronici* Urspergensis Auctor anonymus, *Conrado* antiquior & *Hartwigo* synchronus. Sic enim scribit ad Annum 1102.: *Hartwigus* Magdeburgensis Archiepiscopus obiit, *Vir per multa laudabilis, maxime tamen popularibus & Ecclesie, cui præerat, utilitatibus multum insudans dilatandis, pro schismate quoque sepe dicto* (scilicet *Henrici* IV. cum *Gregorio* VII. & hujus successoribus) *refarciendo inter utramque partem mediator infatigabilis*. Atque ex hoc ipso Urspergensis *Chronici* testimonio manifestè simul refellitur error recentio-

centiorum compactaque in Hartwigum calumnia, de qua Tritheimius in Chronico Hirsaugiensi ad A. 1101. ita habet: *Anno sequente obiit Hartvicus Archiepiscopus Magdeburgensis, qui alio nomine Udo dictus est, morte subitanea: de quo CIRCUMFERTUR illa terribilis sententia districti iudicis Jesu Christi, qui in Ecclesia prefata Magdeburgensi, Græcè Parthenopolis dicta, id est, Civitas Virginis, ante Summum Altare cum multitudine Sanctorum adsedisse, per quendam devotum Canonicum visus est nocte illa, in qua & mortuus manè inveniebatur Episcopus, sententiámque in eum decollationis protulisse. Hec Historia, quia satis nota est, latioribus verbis à nobis non venit inserenda.* IV. Etli Ditmarus, Lambertus Schaffnaburgensis, Conradus Urspergensis, Chronicon Mindense, visiones atque prodigia seu læta seu terrificæ, & tragicos etiam Episcoporum, Clericorumve interitus, ut Henrici Episcopi Spirensis, Wilhelmi Episcopi Ultrajectini, Utonis Archipresbyteri Halberstatensis, Burckardi Episcopi Halberstatensis, Folmari Episcopi Mindensis &c. exactè copiosèque recenseant: de Udonis tamen Magdeburgici nomine, dignitate, lascivia, immisèque divinitus supplicio portentoso (eo usque scilicet incognito, quod aliàs cognitum esse debuerat) altissimum tacent. Omitto cetera falsissimæ hujus historiæ indicia, alibi fortè opportuniùs excutienda. Unde recentiores Critici commentitiam isthanc traditiunculum, multò posteriùs natam atque ad ciendum fidelibus terrorem fabricatam, jure merito explodunt, Van-Casteelius in Controversiis Ecclesiastico-Historicis Controv. XXXIX. Cuperus in Actis SS. T. I. Aug. in vita B. Augustini Lucerensis: Paulus Langius in Chronicis Citicensi & Naumburgensi: Woltherus Streversdorffius in Serie Archiepiscoporum Magdeburgensium &c.

Neutiquam verò inde arguere licet, cetera etiam omnia, quæ in Speculo hocce narrantur, ejusdem furfuris esse, nihilque probati in eo reperiri. Cùm enim ex mille, trecentis, & septuaginta quinque historiis, quas recentior auctiorque Speculi editio complectitur, non paucæ ex idoneis, sæpe etiam synchronis, Auctoribus depromptæ noscantur, legitimam aut certè non improbabilem fidem eæ pariter apud lectorem facere poterunt, tantumque hujus Speculi valebit auctoritas, quanta eorum fides & ætas extiterit, è quibus ea Speculi compilatio facta. Neque, si lectori quæpiam videantur insolita, idcirco esse desinent vera: si videlicet gravium, maximè verò cœvorum aut subæqualium testium assertione firmentur, neque aliunde falsitatis ea possint convinci.

SPECULUM SAXONICUM. Istud Saxo quispiam nobilis, Rebkau, Ribicon, Ebko, Eyke, & Eckhardus multifario nomine dictus, jussu Co-

SPECULUM
SAXON.

mitis Hoyeri de Falckenstein compilâsse, ipsosque triginta annos hoc in opere insumpfisse (aut perdidisse) narratur. *Prima* ejus editio curata est Lipsiæ A. 1488.: *altera* Augustæ Vindel. A. 1516.: *Tertia* rursus Lipsiæ A. 1528., unâ cum Bulla Gregorii XI. super XIV. Articulis reprobatis, item cum aliis articulis in Concilio Basileensi rejectis: *Quarto* demum Speculi hujus Excerpta quæpiam dedit Goldastus T. II. Constit. Imper. à p. 126. Alius verò fuit, qui huic Speculo sua pariter Scholia atque glossemata addidit; unde hic quidem *Glossator*, Speculi verò Author *Speculator* à Kranzio nuncupatur L. II. Saxoniz Cap. XXI. Vario hæcenus in pretio hoc Speculum fuit: apud quospiam *multo* (devergente præprimis Seculo XIV.) apud alios *aliquo*: apud non paucos, Criticos maximè & orthodoxos, *nullo*; & meritò quidem. Sive enim leges ipsas, quarum farraginem hoc Speculum exhibet: sive historicas, quibus respergitur, narrationes consideres: non modò genuinam fidem & sinceritatem, sed & puri dogmatis plurimùm in eo desiderari agnosces. Certè Fridericus de Berger (quantumvis A catholicus) cùm in Henrici Cocceij Jurisprudentiam publicam suas animadversiones Lipsiæ ederet Anno 1724., mox in earum præfatione illud in Cocceio reprehendit, quòd Vir hic Illustris & ceteroquin eruditus ex Speculis, *Saxonico* ac *Suevico*, argumenta sua petièrit, iisque *singulares* suas opiniones nimis incongruè munièrit ac confirmarit. Dein ita pergit: *Id saltem confidentius adstruxerim, Speculorum utrumque multa complecti, quæ hæud idonea nitantur ratione, & præsertim Saxonicum mirifica vulgarium nugarum copiâ abundare, maximè in Juris publici scientia, ubi Compiler sapius risu explodenda, nec ad Controversias Illustres decidendas accommodata, hæud levi infirmi judicii ac supinæ ignorantie indicio congeffit, quandoque etiam in Cæsaris Mæjstatem temerario ausu invecus.* Rursus pag. 4. ait: *Speculis istis in rebus publicis nulla fides adhibenda; Ea, quæ enarrantur, inepta valde sunt: ut observantiam hinc probaturus, vix sit audiendus.* Eandem Speculatoris ineptiam affirmat Bergerus p. 172. 185. 186. 187. 236. 254. Magis autem Speculi hujus auctoritatem exsufflat *Kranzius*, qui L. II. Saxoniz toto capite XX. tam Speculatorem quàm Glossatorem, *indoctæ, ineptæ, & puerilis loquacitatis*, plurimarumque *fabularum* apertè accusat atque convincit. *Conringius* (qui lib. de Origine Juris German. cap. 30. demonstrâsse se autumat, Speculum istud ante Annum 1235. fuisse confectum) etsi sapius illud in rem suam adhibeat, nihilominus tum alibi, tum in eodem L. de Origine Juris cap. 13. 29. 30.: tum & in VI. Exercitatione de Republica Imp. Germ. thesi 90., *Speculum istud cum glossa sua tantùm non infinitis scaterere fabulis ostendit.*

dit. *Gundlingius* contra in *Hist. Imper.* quanquam & ipse p. m. 628: Speculatoris hujus de *Calphurnia* nugas explodat, rursúmque pag. 680. multas huic Speculo fabulas inesse non neget: illud tamen non modicum utilitatis ad historicam veterum legum, tum præcipuè Saxonicarum, tum & aliarum notitiam conferre existimat p. 679. 680. 681. Licèt enim publica Saxonum aut Imperatorum auctoritate compilatum illud haud fuerit, ad privatos tamen Jurisconsultorum usus perinde, atque hodie *Carpzovii* aut *Mevii* Commentarios, pro forensibus quàm privatis quàm publicis Saxoniarum causis aliquando servivisse *Gundlingius* arbitratur, additque, videri sibi, quòd *Rebkovius* Speculi sui Saxonici leges potissimum ex Codice *Juris Sufatiæ* (quod *Fridericus Barbarossa* *Lubeccensibus* confirmavit) collegerit atque transcripserit. Vid. *Gundling.* l. c. p. 533. 534. §. 134. ubi de *Jure Sufatiæ*.

Qualenam verò, jam ante IV. Secula, Orthodoxorum, & Romani præprimis Pontificis, de hoc Speculo judicium fuerit, narrat *Spondanus* T. I. *Contin. Annal. Baron.* ad A. 1374. n. 2. ex *Spondano Gravesonius* P. II. *Hist. Eccl. T. V. Colleg. III.* p. m. 102. col. 2. maximè autem *Odoricus Raynaldus* T. XVI. *Annal. Baron.* ad A. 1374. n. 12. cujus verba hìc reddo. „ Inficere etiam tum Germaniam moliebantur nonnulli impii, qui commentarios nequissimos, inscriptos: „ *Leges seu Speculum Saxonum*: edidère, cùm *Gregorius XI.*, ne Pontificali deesset muneri, ad offusas simplicibus populis hæresum tenebras veritatis luce discutiendas, Cardinales aliòsque peritissimos „ Viros coëgit, notavitque singulos errores justâ censurâ. Tum „ Germaniæ, Livoniæ, Boëmiæ, Galliæ pluribus Archiepiscopis & „ Episcopis ad fidem propugnandam stimulos addidit, ac denique „ *Carolus* (IV.) Imperatorem, ut pro animarum Salute promovenda ac moribus expoliendis operam explicaret, est adhortatus:

Carolo, Romanorum Imperatori semper Augusto. Fili Carissime, jam longum est tempus præteritum, quod de erroribus & execrabilitate quorundam Scriptorum detestabilium, quæ leges seu SPECULUM SAXONUM appellantur, quibusque nonnulli de partibus tuorum imperii ac regni & terrarum uti seu potiùs abuti dicebantur, per fide dignas & intelligentes personas fuimus informati: & petatum fuit à nobis, ad quos spectat in talibus providere, ut super eis ad salutem animarum provisionem adhibere congruam dignaremur. Nòsque Scripta ipsa mature vidimus, & per nonnullos tam fratres nostros S. R. E. Cardinales, quàm alios in Sacra Theologia solemnes Magistros, ac utriusque Juris Doctores, examinari fecimus diligenter: & illa ex eis, quæ falsa, temeraria, iniqua, injusta, & in quibusdam hæretica & schismatica

§

Et contra bonos mores existentia, periculosâque nimium animabus fore reperi-
mus; Auctoritate Apostolica reprobavimus, damnavimus, ac decrevimus ir-
rita Et inania, ac carere omni robore firmitatis: prout in nostris literis inde
confectis (quarum tenorem mittimus presentibus inclusum, quasque Venerabili-
bus Fratribus nostris, Moguntino, Coloniensi, Remensi, Magdeburgensi, Pra-
gensi, Et Rigeni Archiepiscopis, eorumque suffraganeis dirigimus) videre po-
teris plenius contineri. Quare devotam Excellentiam tuam, qua Sancta, ju-
sta Et honesta veneratur Et colit, Et contraria detestatur, requirimus Et
rogamus attentius, quatenus in publicatione dictarum literarum, Et ut pareat-
ur contentis in eis, digneris pro reverentia DEI ac Apostolica Sedis Et no-
stra, dictaque animarum Salute Et reformatione morum Imperialis Et Regalis
potestatis favorem efficaciter impertiri. Dat. Avenione Idibus Octobr. Anno IV.
Excerpta est hæc Epistola ex Tomo IV. Epist. Secret. pag. 62.

Addit Spondanus, quod Gregorius Speculum istud flammis ad-
dixerit. Menkenius verò & Iselinus in Lexicis ajunt, quod quatuor-
decim præcipuè Speculi hujus Articulos damnârit Gregorius, Con-
cilium dein Basileense A. 1431. plures adhuc alios inde eruerit at-
que proscripserit, qui communiter *Articuli reprobat* solent compen-
dari. Verosimillimum tamen existimaverim, quod Rebkovii Specu-
lum, sicut intra sesqui-Seculare spatium à pluribus fuit descriptum,
ita à variis audaculis aut pseudo-Catholicis pessimè fuerit interpo-
latum & auctum, eo præcipuè tempore, quo sub ejusdem Gregorii
XI. Pontificatu jam alii Novatores phantastici, ut Milizius &c. pesti-
lencia sua dogmata per Bohemiam atque inde per Germaniam in
Romanæ Sedis odium atque contemptum diffudere.

SPECULUM
SUEVICUM

SPECULUM SUEVICUM. Rectè de illo Conringius T. VI. Operum
de origine Juris Germ. c. 30. p. 160. *Nec de Suevici Juris Provincialis
ac Feudalis Speculo certè asserere licet, aut quo Auctore, aut quando cæperit.*
Melchior quidem Goldastus præfat. in Tomum I. Constitut. Impo-
rial. (cui Operi Suevicas illas leges inseruit) narrat, sibi relatum,
Bertholdo Barone de Grimmenstein Auctore Speculum aliquod Suevi-
cum fuisse conscriptum: non audet tamen illius vulgati Speculi Sue-
vici parentem hunc nuncupare, cum & in editis & in MSS. Codic-
ibus, sibi visis, nomen omne desideretur. Neque de Speculi hujus
etate inter se conveniunt Auctores; Iselinus enim in Lexico tanquam
certum assumit, quod inter Annos 1230. & 1290. Speculum istud
natales suos acceperit: neque dissentire videtur Lambecius, qui in
Comment. de Biblioth. Vienn. l. 2. Cap. VIII. Cod. 140. Speculum
Suevicum jure Saxonico antiquius esse defendit, & de celeberrimo
hujus Speculi Codice *Ambrosiano* (qui scilicet ex notissimo Tyroleo
castro,

castro, *Ambras* dicto, in Viennensem Cæsarem Bibliothecam fuit translatus) testatur, jam à Rudolphi I. temporibus usque ad Maximilianum I. Archiduces Austriacos hujus Speculi usum in causis publicis atque judiciariis sibi habuisse familiarem. Similiter *Bergerus* in *Animadvers.* ad *Cocceii Jurisprudentiam* p. 185. asserit, Jus Alemannicum multò antèrius esse Saxonico: quòdque Speculator Saxonicus Speculatorem Suevicum circa Electorale Bohemiæ Regis suffragium ineptè intellexerit atque exscripserit. *Schannatus Fuldenfis*, qui in *Collectione Veterum Scriptorum ac Documentorum P. I.* (germanicè edita *Francofordiæ A. 1727.*) ex vetustissimo quopiam MS. *Ingolstadiensi Jus Provinciale Alemannicum* publicàrat, illud cum Speculo Suevico plurimùm convenire affirmat, si ordinem atque Orthographiam excipias: illudque Interregni tempore, post *Friderici II.* obitum si non conditum, certè renovatum esse conjectat, simul autem illorum sententiam rejicit, qui originem ejus jam in Anno 1208., scilicet *Othonis IV.* temporibus, quæsiere.

Ex adverso *Conringius*, qui *Speculum Saxonicum Suevico* vetustius facit, loco antè cit. ita pergit: „ Ad tempus quod attinet, affirmaverim pene, seculo demum XIV. librum illum (*Speculum Suevicum*) elaboratum esse. Námque lib. I, c. 358. ita scribitur: *Wir lesen auch, das Innocentius der Pabst Entfaz Kayser Otten von dem Römif. Reich, durch andere sein Unrecht. Narrantur itaque Ottonis IV. & Innocentii III. res, ut vetustæ & non nisi lectione acceptæ. Friderici II. mentio fit in Epilogo libri II.: usus Decreti & Decretalium in Foro L. I. Cap. V. De Papæ tamen in Cæsarem auctoritate passim ita auctor loquitur, ut mos non tulit Ludovico Bavaro imperante. Itaque fortè paulò ante illius tempora Codex hic scriptus est. . . . Videtur autem (*Speculi Auctor*) omnino imitatus *Speculum Saxonicum*, ne quidem dubitans integra Capitula ad verbum inde describere: ne à titulo *Speculi* quidem voluit abstinere. Quanquam ille (titulus) & aliis illius temporis Scriptoribus arriserit, ut *Vincentio Belluacensi*, *Guilielmo Durantis*, *Maranthæ*, aliis. Jura quoque ipsa non multùm dissident, nisi successione hæreditatum, & appellationibus: quod scribitur *Speculi Saxonici* L. I. Tit. XVII. XVIII. XIX. & L. I. *Speculi Suevici* cap. CCCXCIII. §. 2. *Hæc Conringius T. VI. Operum* p. 160. cap. 30 de *Orig. Jur. Germ.* cujus opinionem notator *Goebelius* lit. e. ad dictum *Conringii* locum: item *Schilterus* in præfatione *Codiciæ feudalæ Alemannici* & *Struvius* in *Historia Juris**

Juris cap. 6. §. 30. quoad Saxonici Speculi præ Suevico antiquitatem pariter amplectuntur.

Sive autem Speculator Saxonicus Suevicum, sive hic illum antecesserit; illud in comperto nunc est, quod Speculi Suevici usus nostro tempore plurimum exoleverit, postquam jus Justinianicum sive Romanum ubique prævaluit, aut suum quævis Provincia & Germaniæ Ordines peculiare jus patrium & consuetudinarium recentius introduxere. Testatur tamen Goldastus, quod sua adhuc ætate apud Algojos, Helvetos, Grifones, Valesios, Sabaudos atque Burgundos Speculum istud non parum viguerit. *Harprechtus* Kiloniensis omnem Speculi Suevici usum Germanicis Terris abjudicat in lucubratione, cui titulus: *Speculi Suevici, & præsertim Juris Feudalis Alemannici in foris Vicariatus Suevo-Franconico-Palatini non usus modernus*. Nec minus hujus Speculi fidem extenuat Auctor Anonymus des *Bayrischen Gegenberichts* (adversus Vicariatum Palatinum) pag. 6. ubi ad *Simonis Schardii* testimonium provocat: item pag. 22. der wohlgegründeten Widerlegung vermeinter *Haidelbergischer Rettung des Churpfälzischen Vicariats*: ubi Speculi hujus (prout A. 1566. *Francofordiæ* recusum est) novitas ex eo arguitur, quod complura, à promulgatæ primùm *Auræ Bullæ* temporibus recentius introducta, in eodem contineantur. *Bergerus* loc. suprâ cit. p. 185. ejusdem Speculi auctoritatem in controversiis, ad jus publicum pertinentibus, decidendis non minus rejicit, quàm Saxonici. Ceterum legentibus apparet, etiam Suevos multa tum *Carolo M.* attribuisse, quæ minimè ab eo profecta videntur. Ipse tamen Speculi Auctor lib. 1. cap. 5. profitetur, Opus hoc ex jurè scripto & consuetudinario à se fuisse collectum. Et verò ex ipsis legibus Romanis nonnulla transcripsit libro primo, sed, ut *Conringius* l. c. notat, sapius perinepte. Sic. v. g. c. 61. *Marcianus* Jurisconsultus Speculatori audit *Marcellus*: & cap. 377. *Hadrianus Cæsar* illi dicitur *Magister*.

Primam Speculi hujus Editionem *Argentorati* A. 1505. produxit *Mathias Hupfauf*; quam secutus etiam est *Goldastus* in suis *Constitut. Imperialibus*. Ast cum imperfecta admodum ea crederetur, quod in multis à *Codice Ambrasiano* deflecteret (ex quo tamen illa deprompta prætenditur) idcirco aliam substituit *Sebastianus Meichnerus Francofordiæ* A. 1566. quæ *Argentinenfi* præfertur.

STRUVIUS. *Struvius* *Burckhardus Gotthelfius*, *Juris & Histor. PP. Jenæ* in *Thuringia*, complura ingenii sui monumenta reliquit, quæ non modò *Viri pereruditi*, sed & omni laude dignissimi prærogativam etiam apud *Orthodoxos* ei poterant promereri, nisi ideis protestanticis calamum subin-

subin

subin imbuisset, & intempeſtiva calumniandi libidine ſagaciores lectores offendisset. Unum duntaxat illius Volumen, at vaſtum, hinc nomino, quod ita inſcribitur: *Burcardi Gotthelſii Struvii Corpus Hiſtoriæ Germanicæ. Jenæ, ſumptibus Joannis Felicis Bielkii A. MDCCXXX.* Quo ex opere ut pauca referam, ita ſcribit I. pag. 125. §. 9. *Inter ſe diſceptant Proteſtantes atque Pontificii, an (Carolus M.) horum vel illorum religionis dogmata ſit ſecutus. Verùm licet ipſum externa profeſſione fuiſſe Chriſtianum minime ſit denegandum: hoc etiam certum, ipſum Jus Sacrorum in Controverſia imaginum exercuiſſe, atque Synodum inſtituiſſe. . . Præterea templa extruxit, Eccleſias dotavit, ornavitque, neque tamen exinde vera pietatis cultus demonſtrabitur, cùm potiùs omnes ejusdem actiones de ipſius ambitione teſtentur atque cupiditate dominandi, quæ etiam bellum Saxonicum concitavit; ſi quid præterea, ex prudentia factum fuit politica. Episcopatus verò ſcholæ inſtituit, minime ex pio zelo, ſed potiùs ut feroces mitigaret Saxonum ſpiritus. De ipſius libidine ſatis teſtantur diverſæ concubine. Ita ſcilicet Momus hic acutiſſimus poſt novem denique ſæcula etiam intimos Caroli ſenſus audet rimari, & contra omnium ſynchronorum teſtium fidem ex laudatiſſimo hæcenus Principe non jam Chriſtianiſſimum, non Romano-Catholicum, non Sanctum, ſed hypocritam pseudo-politicum fingit! II. pag. 319. §. 27. ita grallis incedit Oratio: Tandem verò ingens iſtud cum Gregorio VII. Pontifice malum fuit ſubortum. Scilicet poſtquam VULPINA calliditate Pontificatum fuiſſet adeptus atque Imperatoris conſenſum impetraviſſet HOMO FLAGITIOSUS, ſtatim caput efferre cœpit, publicis edictis cœlibatum Clericorum inducere conatus, ſimoniacos Episcopos removeri volebat. Imò ſuper ipſos Reges nimio auſu ſe extollens &c. En! quàm Icario auſu ſuper ipſummet Pontificem Sanctiſſimum, & cœleſtibus prodigiis certò illuſtrem, fauces efferat Rhadamanthus hic Proteſtanticus! quas vulpes in Gregorium eſſutiat novus hic Demoſthenes! quàm Cyclopia verba, quod flagitioſi hominis indolatum Epitheton in Summum Eccleſiæ Caput, illudque unanimi ſynchronorum ore pientiſſimum, procudere auſit cœcus iſte Pyracmon! Num Gregorius, an verò Struvius homo flagitioſus? quia integerrimi Præſulis mendaciſſimus hoſtis, Clericorum uxoratorum Patronus, Eccleſiaſticæ continentiæ oſor, ſimoniacorum Episcoporum caufidicus. Et quæ denique hominum monſtra ex heterodoxis ſuis Lutheroque devotis Sæculi Principibus exculpet Polycletus hic Struvius, ſi ex ipſomet univerſalis Eccleſiæ Summo Principe (quem omnes ejus ætatis orthodoxi Scriptores & Episcopopi, etiam ſanctitate & miraculis conſpicui, ſummopere coluere, & hodie dum ut Sanctum Eccleſia colit) ipſe hominem vulpinum, hominem arroganſem ac temerarium, hominem denique flagitioſum,*

tornare audacissimè novit? III. pag. 977. §. XI. hæc fabulatur delirus: *In hoc cursu cum esset Lutherus, circumferuntur venales Indulgentiæ in Saxonia à Joanne Tetzelio Dominicano, impudentissimo sycophanta, cujus impiis & nefariis concionibus irritatus Lutherus studio pietatis ardens edidit propositiones 95. de Indulgentiis &c.* Hoc nisi sit sycophantari, quid tandem erit? Tantò videlicet pietatis studiò arsit Lutherus, ut etiam erga apostatricem Monacham arserit, & in Comitii postmodum Wormatiensibus Anno 1521. *tanquam obstinatus Schismaticus & notorius hæreticus totò Imperio proscribi meruerit, decreto subscribentibus Imperatore Carolo V., Electoribus Sex, Ecclesiasticis Principibus triginta, Secularibus Principibus triginta tribus, Abbatibus viginti duobus, Comitibus & Baronibus triginta duobus, Civitatibus Imperialibus triginta novem.* IV. pag. 1080. §. 104. Religionem suam Protestanticam specioso isthocnugamentò fulcit atque solatur Struvius: 21. Sept. A. 1558. *sumptà sacrâ Evcharistiâ sub utraque, in solo Salvatore spem omnem salutis collocans (ideòque Evangelicæ veritatis convictus fuisse dicitur) . . . fuit extinctus Carolus V.;* in subjectis verò notis eandem Caroli mortem Evangelicam seu Protestanticam uberius deducit Struvius; pag. demum 976. in Sectionis quartæ Summario §. CIV. ita dicitur: *Vita Caroli in Monasterio, Mors Evangelica.* Cujus sanè fabulæ proterviam Augustissima Domus Austriaca non execrari non potest. Præter alios commentum hoc refutavit P. Ignat. Schwarz S. I. P. V. Colleg. Hist. à pag. 348. ad 361. Atque hæc paucula Struviani calami fermentum oppidò Protestanticum abunde jam produunt.

SURIUS.

SURIUS Laurentius, Carthusianus, qui humanis rebus exemptus est Coloniz A. 1578., præter SS. Patrum Sermones atque Concilia, à se collecta atque in plurium Voluminum Ordinem digesta, etiam *Sanctorum Vitas* è Veterum Scriptis erutas publicavit, quæ sex Tomos conficiunt. Optandum verò fuerat, ut (quod alibi in voce: *Metaphrastes*: p. 276. jam monuimus) hæc Vitas, quales apud primavos Scriptores repererat, tales etiam Surius non immutatas relinqueret, neque ornatiorē recentiorēque calamum suum in iis non rarò substitueret. Quòd enim primigeniam dictionem ac stylum persæpe non observaverit, aliqua etiam addiderit ac ampliavit Surius, passim reprehendunt *Hagiographi* nostri Antverpienses, & *Pagius*, Vid. suprà p. 276. l. c. Unde Surianas *Sanctorum Vitas* cum genuinis apud eosdem *Hagiographos* Actis multoties conferri oportebit, ut certa ab incertis, & à recentibus vetera rite possint discerni. Edidit quoque Surius *Commentarium brevem Rerum sua ætate in Orbe gesta-*

gestarum ab Anno MD. ad A. MDLXXIV.: inde vel maximè commendandum, quòd & synchronus fuerit Auctor, qui scripsit: & solidum veritatis studium, quò scripsit. Non defuere quidem, quos acriter Commentarius iste momorderit, quique non pauca in Opere hoc improbarint, ut etiam Menkenius in Lexico Eruditorum observat. Verùm Criticis hisce obrectatoribus jam ipse Surius dudum occurrit in Epistola sua nuncupatoria ad Illustrissimum Albertum Comitem Palatinum Rheni & V. B. Ducem; quæ quòd etiam aliis Historiarum Scriptoribus orthodoxis atque Ecclesiasticis hodie dum apprimè serviat, eandem huc ex Parte transcribo. Interim (inquit Surius l. c.) ad me perfertur, non deesse, qui dicant, parùm decuisse Carthusianum scribere historiam: alios etiam, qui me putent plusculum indulgisse affectibus: nonnullos verò, qui me etiam maledicum vocent. Quibus omnibus ut brevissimè satisfaciam, nòrint primi, me non facile hanc scribendi provinciam suscepturum fuisse, si vel ipsi eam suscipere, vel alios doctiores, ut susciperent, adhortari voluissent. Porro Alii id certum habeant, me nihil aut odio cujusquam aut amore scripsisse secus, quàm haberet rei veritas, quantum equidem scire potui: nec debet mihi vitio verti, si laudavi præclare de Republica Christiana meritos, & acrius interim perstrinxi proditores & perditores in chylæ Germaniæ nostræ: quales sunt ii, qui sub prætextu Evangelii & puræ doctrinæ teterrimos errores, & jam olim damnatas hereses in orbem invexerunt. Postremi autem, qui me maledicentia insimulant, desinant, oro, esse Schismatici: desinant populum Christianum, Christi JESU pretioso sanguine redemptum, in errores inducere: desinant atrocissimè & impiissimè lacerare ac proscindere Christi Catholicam Ecclesiam, Romanos Pontifices, Sacramenta & Instituta Ecclesiæ, & id genus alia: desinant dicere bonum malum, & malum bonum, redeantque ad pacem & unitatem filiorum DEI; & tum sentiant, me, etsi nonnunquam asperius scripsisse videar, tamen longè fuisse modestiorem, quàm res ipsæ poscere viderentur. Atque his ego in præsens responsum esse velim iis, quos supra dixi. Nam prolixè contendere mihi sanè integrum non est. Quanquam quod ad postremos attinet, qui me maledicum vocant, possem facile ostendere, si mea scripta cum aliorum scriptis conferantur, illos se potius quàm me perstringere voluisse. In iis enim est Casparus Peucerus Melanchthonis gener, qui in suo illo Quinto Carionis libro, dum eum Illustrissimo Saxonie Electori Augusto dedicat, adeò furiosus & rabidus in me incurrit, ut non modò scurræ sed etiam blasphemum filii DEI hostem me vocet, nec dicere vereatur (quod tamen docere nunquam poterit) me impudenter res manifestè veras calumniari ac depravare. Tum verò in ipsa Historia tam impotenter incurrit in Summos Pontifices, quorum odio isti infelices & miseri deflagrant, ut sanè bellissimum & germanissimum Lutheri discipulum

pulum se probet. Dolet scilicet Viro Evangelico, quòd fraudes, mendacia, antilogiæ, mutua eadèmq; acerbissima dissensiones, contentiones, odia plusquam Vatiniana, novi hujus Evangelii buccinatorum in mea historia annotantur, & identidem verissimè commemorantur. . . . Hæc & ejus generis alia cum nos citra ullum mendacium ex ipsorum editis libris proferimus, maledicos nos vocant, & blasphemos hostes filii DEI. Cum autem illi immaniter conspuunt, & calumniantur etiam optimos & Sanctissimos Pontifices, Sacramenta & Instituta Ecclesiæ Catholicæ aliâque similia: non solum non maledici, sed etiam egregiè Evangelicè videri volunt. Sed tamen utcunq; sevant & tumultuentur Viri optimi, veniet quandoque ille dies, ut intelligant homines, quam luculenter sub Evangelii ementita specie ipsis impositum & illusum adhuc sit ab ipsis. Atque ut id facilius possint, operam dedi, ut in meo hoc qualicumque Commentario doctrinæ inconstantiam, fœdissimas antilogias, atrocissimas altercationes, & his consimilia multa, quæ in nostris Evangelicis dogmatistis & præconibus visuntur, diligenter Lectori ob oculos ponerem, & quædam etiam identidem inculcarem, ut magis moveant, & tenacius animis affigantur. Nec ego vel tantilli facio, hoc nomine à Peucero me maledicum appellari. Ille enim non didicit aliud à suo Luthero & Melanchtone, quam Monachis maledicere, & monachos calumniari: quemadmodum etiam præclare facit, dum in eadem sua Epistola dedicatoria monachos vocat deploratum & profligatum genus hominum; quasi verò nesciat Monachorum institutum semper omnibus seculis, præcipuè apud Christianos atque etiam potentissimos Reges & Principes fuisse venerationi, adeò, ut etiam Magnus ille Constantinus, teste Athanasio, & ejus liberi, Constans atque Constantius, crebrò ad S. Antonium quasi ad Patrem scripserint, & tum illorum favor, ut idem ait, tum omnis aula regalis illum celebravit. . . . Eat sanè Peucerus, & maledicat Monachis: nos interim ejus maledictis nihil prorsus absterriti, pergemus DEO propitio hominibus ostendere malas artes, portentosam vanitatem, impias hæreses, turpissimas antilogias, immania aliorum in alios convicia, & id genus alia pulcherrima emblemata fratrum Evangelicorum. Quòd si id Peucerus ferre non potest, separet se ab illorum hominum Sodalitio, redeâtque ad Ecclesiam, & ejusmodi nostro labore etiam gratulabitur. Hæc & his plura Surius, ad sui quidem unius vindicias, sed quæ etiam aliis Ecclesiasticis & verè Romano-Catholicis Scriptoribus possint esse communes.

T.

TAMAYUS. TAMAYUS Salazar, elapsi proximè Seculi Scriptor Hispanus, qui vitæ scriptionique finem imposuit A. 1662., inter alias lucubraciones